AURELII AUGUSTINI

Doctrina de tempore,

ex

libro XI. Confessionum depromta, Aristotelicae, Kantianae aliarumque theoriarum recensione aucta, et congruis hodiernae philosophiae ideis amplificata.

Auctore

C. Fortlage,

Dr. philos. et in univers. Heidelberg. priv. doc.

HEIDELBERGAE.

Apud CAROLUM GROOS.

MDCCCXXXVI.

Praefatio.

Quae jampridem alio loco [1]) indigitavi de melius explicanda temporis notione, in hoc tractatu praestare studui. Per majores logicos apparatus interea certior adhuc mihi facta est sententia, quam illic jam pronuntiavi, et cujus demonstratio est finis hujus tractatus: in schemate temporis contineri formulam ejus relationis, quae existit inter phantasiam productivam subjecti intelligentis et entia realia per se, quae intelliguntur ab illo [2]).

Nemo inter omnes philosophos in hac re ad veritatem tam prope accessit, quam Aurel. Augustinus, cujus nomen ideo huic tractatui inscripsi, et cui hujus theoriae inventionem libenter attribuo, quia ad hoc totum systema facile pervenisset, si suas de tempore meditationes in unum collegisset, eaque, quae ex iis consequuntur, corollaria diligenter elicuisset.

Elucescat velim hoc tractatu ut parvo exemplo, quomodo in metaphysicis ea, quae diversis aevis et methodis a diversis philosophis elaborata sunt, sedulo adhiberi possint ad metaphysicas quaestiones ultimo veritatis judicio appropinquandas. Si hoc modo gravissimae quaeque notiones metaphysicae per omnes prius adhibitas philosophandi methodos perducerentur, appropinquaremus, nisi facilius, tamen certe securius ad juste elaborandam scientiam metaphysicam vere criticam.

Itaque theoriam temporis ita elaborare studui, ut in quovis ejus loco intelligatur, a quonam philosopho prioris aevi jam prius data sit notitia aliqua utilis ad

1) In libro inscripto: Die Lücken des Hegelschen Systems der Philosophie. Heidelberg und Leipzig. Bei Karl Groos. 1832.

2) L. c. Pg. 38: Daraus folgt, dass im Schema der Zeit enthalten liegen muss die Formel für das Verhältniss, worin im menschlichen Bewusstseyn die productive Phantasie des intelligenten Subjects zur gegebenen Realität der individuellen Objecte in der Wahrnehmung steht. Cf. §. 84. *Schol.* 3. hujus tractatus.

inveniendum verum rei statum. Hac methodo etiam errores facile apparebunt, et illustrati veritatis luce, quae est revelatrix sui et erroris, evanescent.

Doctrina Augustiniana de tempore est firma et evidens, sed nondum perfecta et omnibus numeris absoluta. Per hunc tractatum eam efferre tentavi usque ad eum locum, ubi a mathematico, qui non abhorret a metaphysicis, cupit in calculum recipi tanquam scientia repugnantiae trium potentiarum, quarum duae in anima collocatae sunt, tertia autem est resistentia, quam immutabilitas entium-per-se opponit actionibus illarum. Cf. §. 87.

Is autem philosophus, qui theoriae prorsus diversae de tempore assentit, neque movendus erit ad intrandum theatrum hoc anatomicum sectionis temporis in membra sua, praeterea tamen ex opusculo meo aliquem fructum capere poterit, quia illic praecipuas de tempore opiniones invenit juxta se positas et invicem comparatas.

Sed is etiam, cui videbitur contemplandi locus Augustinianus esse falsus et exhibere obliquum contemplandi situm, fateri tamen oportebit, theoriae huic inesse eandem evidentiam internam, quae e. g. in Spinozae de substantia deductionibus invenitur etiam ab iis, qui illum locum, ex quo speculabatur Spinoza, perhorrescunt.

Sicut hic methodo Augustiniana ductus inveni, intuitionem aprioricam temporis oriri ex transfusione imaginaria trium principiorum metaphysicorum, scil. entium-per-se cum duabus animi facultatibus, sic verisimile est, etiam ceteras intuitiones aprioricas, quibus continetur geometria et arithmetica, solvi posse in principia metaphysica ut elementa sua. Si haec disquisitio aliquid conferre posset, ut et circum illas instituantur simili modo observationes accuratiores, certe scio, ejusmodi labores non mediocriter collaturos esse ad renovandam solidiorem et vere criticam in metaphysicis methodum.

CAP. I.

Quaestiones XLII
de tempore gravissimae.

Ex fine demum theoriae nostrae cerni poterit, utrum et quaenam sint solubiles, an insolubiles. Sunt autem ideo graves, quia continent judicia synthetica a priori de tempore, quorum Kant in Critica rationis purae (Transsc. Aesth. 2r Absch. §. 4.) pauca tantum commemoravit. Eae etiam ex iis, quae solvi nequeunt, valde tamen conferunt ad acuendam attentionem in hanc rem, et ad omnes temporis notas bene nobis imprimendas.

I. Cur sunt tres temporis partes, praeteritum, praesens et futurum, neque duae, neque quatuor?

August. Conf. l. XI c. 17. Quisnam est, qui dicat mihi, non esse tria tempora, sicut pueri didicimus puerosque docuimus? Cf. *Wagners* Organon §. 135.

II. Potestne tempus discindi in tres suas partes, nec ne?

Hegels Encycl. §. 259. Uebrigens kommt es in der Natur, wo die Zeit Jetzt ist, nicht zum bestehenden Unterschied von jenen Dimensionen; sie sind nur in der subjectiven Vorstellung, in der Erinnerung und in der Furcht und Hoffnung. Cf. Sext. Emp. Hyp. Pyrrh. l. III. c. 17.

III. Quid est praesens per se, nulla nec praeteriti nec futuri ratione habita?

Hegels Phänom. S. 31. Es wird das Jtzt gezeigt, dieses Jtzt. Jtzt; es hat schon aufgehört zu seyn, indem es gezeigt wird; das Jtzt, das ist, ist ein anderes, als das gezeigte.

IV. Quid est praeteritum per se, nulla nec praesentis nec futuri ratione habita?

Fichte's Grundr. des Eigenth. der Wiss. Lehre. S. 105. a) Es ist für uns überhaupt gar keine Vergangenheit, als in wiefern sie in der Gegenwart gedacht wird.

V. Quid est futurum per se, nulla nec praesentis nec praeteriti ratione habita?

Aug. Conf. l. XI. c. 18. Futura ergo nondum sunt. Et si nondum sunt, non sunt.

VI. Cur tempus procedit a praeterito in futurum, neque e contrario?

Boët. Consol. philos. l. V. Prosa 6ta. Quidquid vivit in tempore, id praesens a praeterito in futurum procedit.

VII. Cur praesens mutatur in praeteritum, et futurum in praesens, neque e contrario?

Aug. Conf. l. XI. c. 11. Et videat, omne praeteritum propelli ex futuro. c. 14. Si praesens fit, ideo fit, quia in praeteritum transit. c. 13. Hodiernus dies cedit crastino.

VIII. Estne illud, a quo procedunt tempora, praeteritum an futurum? et estne illud, in quod confluunt, futurum an praeteritum?

Aug. l. c. c. 17. An ex aliquo procedit occulto, cum ex futuro fit praesens, et in aliquod recedit occultum, cum ex praesente fit praeteritum?

IX. Cur praeteritum tempus crescit, praesens non crescit, sed variatur, futurum neque crescit neque variatur, sed plane incertum est, omni forma carens?

Ut loquimur: Die wachsende Zeitreihe. Die veränderliche Gegenwart. Die ungewisse Zukunft.

X. Cur praesens *est*, futurum *fit*, praeteritum *habet*, vel in se continet?

Ut loquimur: Ich existire. Ich werde existiren. Ich habe existirt.

XI. Cur praeteriti partes continuo augentur modo *additionis*, futuri partes continuo abscinduntur modo *subtractionis*, praesentia autem distenditur modo *reiterationis* (multiplicationis)?

Symbolum hujus tres Parcae: Clotho filum augens, Lachesis distendens, Atropos abscindens.

XII. Cur futurum venit, praesens praeterit, praeteritum stat immobile?

Zögernd kommt die Zukunft angezogen,
Pfeilschnell ist das Jetzt entflogen,
Ewig still steht die Vergangenheit.

XIII. Cur futurum dat, praesens sumit, praeteritum conservat?

E. g. Was die Zukunft Neues bringt, eignet sich die Gegenwart mit Ungestüm zu. Die Geschichte bewahrt die Thaten auf.

XIV. Cur praesens currit instar navis vel animalis, futurum parit instar matris existentium, praeteritum impletur instar stomachi edentis?

E. g. Die Zeit eilt, fliesst, rennt mit schnellen Schritten. Dies lag noch im Schoosse der Zukunft verborgen. Meine Jahre sind aufgezehrt. Der Zahn der Zeit. Tempus rerum edax.

XV. Cur tempori libentius tribuitur corruptio, quam creatio et amplificatio?

Arist. Phys. lib. IV. c. 12. Senescunt omnia tempore, et obliviscuntur propter tempus. Sed non didicit, nec novum factum est, nec pulcrum. Corruptionis enim causa per se magis est tempus. Numerus enim ipsius motus est: motus autem expellit id, quod inest.

XVI. Cur tempus videtur esse amnis?

E. g. der Strom der Zeit. Das Meer der Ewigkeit.

XVII. Cur tempus videtur esse circulus aut sphaera?

Arist. Phys. IV. c. 14 Quapropter et videtur tempus esse *sphaerae motus*, quia hoc mensurantur alii motus. Etenim tempus ipsum esse videtur *circulus* quidam. *Okens* Naturphil. §. 63. Die Zeit ist gleichsam eine fortrollende Kugel, die immer in sich selbst wiederkehrt.

XVIII. Cur praesentia videtur continuo simul corrumpi et nasci?

Arist. Phys. l. IV. c. 10. Et quia ipsa Nunc simul inter se non erunt, *corruptum* esse necesse est semper prius.

XIX. Cur praeterita sunt causae praesentium, et praesentia futurorum, neque e contrario?

Wagners Organon §. 138. „Dabei heisst dann der die Gegenwart begründende Moment Vergangenheit, und der von ihm begründete Zukunft. Cf. *Fichte's* Grundr. des Eigenth. der Wiss. Lehre. S. 104. 12) 13) 14).

XX. Utrum datur in tempore semper una eademque praesentia, an praesentiae diversae innumerabiles?

Arist. Phys. l. IV. c. 10. Ipsum Nunc, quod distinguit praeteritum et futurum, utrum unum et idem semper permaneat, an aliud sit et aliud, non facile est videre.

XXI. Utrum datur in praesentia extensio aliqua, nec ne?

Arist. l. c. cap. 13. Ipsorum igitur Nunc hoc quidem proprie dicitur, aliud autem, cum tempus, ad quod pertinet, prope sit, ut: *veniet nunc*, quia hodie veniet; *venit nunc*, quia hodie venit. Cf. Sext. Emp. Pyrrh. Hyp. l. III. c. 17.

XXII. Cur omnia tempora sunt partes unius ejusdem temporis?

Schellings System des transsc. Idealism. S. 300. Die Zeit ist nur Eine; was man verschiedene Zeiten nennt, sind nur verschiedene Einschränkungen der absoluten Zeit. Cf. *Kants* Kr. d. V. Tr. Aesth. 2r. Absch. §. 4. 4) 5). Arist. Phys. l. IV. c. 10. T. 55. c. 14. T. 132.

XXIII. Cur plures temporis partes non possunt esse simul, sed altera non nisi post alteram?

Wagners Organon §. 134. In der Zeit tritt zwischen ein Glied des Gegensatzes und zwischen das andere das Nichtsetzen ein, wodurch immer nur Ein Glied erscheint. Cf. *Kant* l. c.

XXIV. Cur non possumus cogitationem abducere ab omni tempore?

Kants Kr. d. V. Transsc. Aesth. 2r. Absch. §. 4. 2). Man kann in Ansehung der Erscheinungen überhaupt die Zeit selbst nicht aufheben, ob man zwar ganz wohl die Erscheinungen aus der Zeit wegnehmen kann. Cf. *Fries* Kr. d. V. 2te Aufl. 1r. Bd. S. 173. 1)

XXV. Cur tempus habet non nisi unam dimensionem instar lineae? Et cur in hac linea una sola est directio, qua tendit a praeterito in futurum?

Kant l. c. §. 6. b) Wir stellen die Zeitfolge durch eine ins Unendliche fortgehende Linie vor, die nur von einer Dimension ist, und schliessen von den Eigenschaften dieser Linie auf alle Eigenschaften der Zeit, ausser dass die Theile der ersteren zugleich, die der letzteren aber nach einander sind. Cf. *Wagners* Organon §. 135. Arist. Phys. l. IV. c. 13. Ut in *mathematicis lineis* etc.

XXVI. Estne tempus substantia, an accidens, an abstractio, an intuitio, an relatio, an mundus ipse, an aliqua potentia divina?

Sext. Emp. adv Math. l. IX. c. 3. Aristoteles' dicebat esse *numerum*, Strato *modum*, Aenesidemus ex sententia Heracliti, non differre a *primo corpore*, Stoici autem *incorporeum*, Epicurus *accidens accidentium*.

XXVII. An patiuntur aliquid a tempore, quae in eo sunt, nec ne?

Arist. Phys. l. IV. c. 12. Necesse est, omnia ea, quae in tempore sunt, pati aliquid a tempore, sicut et dicere consuevimus, quod tabefacit tempus et senescunt omnia tempore, et obliviscuntur propter tempus.

XXVIII. Utrum tempus solummodo est in anima nostra, an fruitur etiam existentia objectiva?

Arist l. c. 14. Utrum autem, cum non sit anima, erit tempus, dubitaverit aliquis.

XXIX. An datur differentia inter notionem temporis et tempus ipsum, nec ne?

Eulers Betracht. über Raum und Zeit in *Hißmann's* Magaz. 4r Bd. S. 191. Es lässt sich noch mit Grund fragen, ob die Idee von Zeit und die Zeit selbst nicht ein paar ganz verschiedene Dinge sind?

XXX. Utrum finita est series temporum, an infinita?

Arist. Phys. l. IV. c. 13. Si vero nullum tempus est, quod non *aliquando*, omne erit tempus finitum. Deficietne igitur an non? Cf. Sext. Emp. Pyrrh Hyp. l. III. c. 17. *Kants* Kr. d. V. Antin. der rein. Vern. Erster Widerstr. der transsc. Ideen.

XXXI. Utrum aeterna existentia est supra omne tempus, an in omni tempore?

Plat. Parm. p. 60. Fic. Nec in tempore ullo pacto ipsum unum erit unquam. Si ergo nullo prorsus participat tempore, nec fuit unquam, nec fit, neque est, neque fiet, neque factum erit, neque erit. Cf. *Platners* Aphorismen §. 1193.

XXXII. Utrum aeternitas est infinita temporum series, composita ex praeteritis et futuris sine origine et fine? an est praesentia simplex, carens praeterito et futuro?

Aug. Conf. l. XI. c. 14. Praesens, si semper esset praesens, nec in praeteritum transiret, jam non esset tempus, sed aeternitas. Cf. Boëtius Cons. phil. l. V. prosa 6ta. *Platners* Aphor. §. 1192.

XXXIII. An dantur semi-aeternitates, ut si componis praesentiam cum praeterito infinito, aut praesentiam cum futuro infinito?

Kants Kr. d. V. Die Antin. der r. V. Erster Widerstr. Thesis. Nun besteht aber eben darin die Unendlichkeit einer Reihe, dass sie durch successive Synthesis niemals vollendet

Antinomiae.

A. *De notione temporis.*

I.

§. 1. ***Tempus historicum*** **est temporis notio universalis, quam ope memoriae et comparationis nobis de tempore in universo fingimus, tanquam annorum, dierum et horarum infinitam seriem.**

§. 2. ***Tempus vivum*** **est temporis perceptio immediata, mere empirica, ex immediata vitae et praesentiae experientia hausta.**

II.

§. 3. ***Tempus historicum*** **est duratio universa, qua volvitur generis humani historia, cursus stellarum, annorum dierumque series.**

§. 4. ***Tempus vivum*** **est praesentia viva nostrae ipsius vitae, qua vivimus, cernimus, audimus, agimus, dormimus et expergiscimur.**

III.

§. 5. ***Tempus historicum*** **est omnium factorum et eventuum series tum praeteritorum, tum praesentium, tum futurorum ab aeternitate in aeternitatem.**

§. 6. ***Tempus vivum*** **est transformatio et vicissitudo ejus, quam vides, existentiae ante oculos et manus tuos.**

IV.

§. 7. ***Tempus historicum*** **est temporum infinita series, in qua quodvis punctum sumi potest et ut praesens et ut praeteritum et ut futurum.**

§. 8. ***Tempus vivum*** **est haec ante oculos meos versans praesentia viva et fluida meae ipsius vitae, quae semper in praeteritum abit, semper ex futuro regeneratur.**

V.

§. 9. ***In tempore historico*** **potes sumere praesentiam, ubi libet, aut in praeterito, aut in praesentia, aut in futuro.**

§. 10. ***In tempore vivo*** **non potes sumere praesentiam, ubi libet, sed datur non nisi una illa praesentia, in qua et ipse vivis, et omnia illa sunt, quae tibi accidunt.**

VI.

§. 11. *Tempus historicum* est tempus repletum factis et eventibus §. 3. 5. Quia omne, quod fit, fit in praesentia, neque in futuro, neque in praeterito fit aliquid unquam, nihilominus autem futurum et praeteritum apparent factorum et eventuum plena: tempus historicum est commixtio et confusio praesentiae cum praeterito et futuro.

§. 12. *Tempus vivum* est tempus vitae existentis. §. 4. 6. Quia neque in futuro, neque in praeterito est existentia, sed in sola praesentia, et quia futurorum nullam habemus memoriam, sed solummodo praeteritorum: tempus vivum est accurata distinctio trium temporis partium, futuri, praeteriti et praesentiae.

VII.

§. 13. *Tempus historicum* non est tempus simplex, sed tempus, in quo mihi fingo praeterita tempora tanquam praesentia aut futura, praesens tempus tanquam futurum aut praeteritum, et futura tempora tanquam praesentia aut praeterita. §. 7. 9.

§. 14. *Tempus vivum* est tempus simplex, i. e. tempus, in quo praesens est mere praesens, praeteritum est mere praeteritum, futurum est mere futurum. §. 10. 12.

VIII.

§. 15. *Tempus historicum* ut confusio trium temporis qualitatum inter se, est *confusa temporis imago*. §. 11. 13.

§. 16. *Tempus vivum*, in quo tres temporis qualitates clare inter se articulatae cernuntur, est *distincta temporis perceptio*. §. 12. 14.

IX.

§. 17. *In tempore historico* proportio inter praesens, praeteritum et futurum est irrationalis, propter relativam existentiam harum partium, secundum quam quodlibet praesens potest simul sumi pro praeterito aut futuro, et e contrario. §. 7.

Schol. Ex irrationalitate temporis historici oritur irrationalitas cujusvis continui motus et progressus in tempore,

ubi praesens tempus sumendum est in fluxu ut praesens et simul ut non praesens. De hac re adhuc infra aptior erit disserendi locus.

§. 18. *In tempore vivo* proportio inter praesens, praeteritum et futurum est rationalis propter simplicem et absolutam existentiam harum partium, secundum quam, quod praeteritum est, non jam est, et quod futurum est, nondum est. §. 8.

B. De existentia temporis.

X.

§. 19. *In tempore historico* existit nil nisi praeteritum et futurum; minime autem praesentia, quae est non nisi illorum terminus separans.

Arist. Phys. l. IV c. 13. Ipsum Nunc omnino *terminus* temporis est; est enim hujus quidem principium, illius autem finis.

Ibid c. 10. Ipsum Nunc *non est pars temporis.* Nam et mensurat pars, et componi oportet totum ex partibus. Tempus autem non componitur ex ipsis Nunc.

Aug. Conf. l. XI. c. 15. Praesens autem *nullum habet spatium.*

Ibid. c. 21. Praesens vero tempus quomodo metimur, quando *non habet spatium?*

Sext. Emp. adv. Math. l. IX. c. 3. Si autem dividitur praesens, non erit amplius omnino praesens, sed ejus quidem aliquid *praeteritum,* aliquid vero *futurum.*

§. 20. *In tempore vivo* praeteritum et futurum non habent existentiam, sed sola praesentia. §. 12.

Sext. Emp. Pyrrh. Hypot. l. III. c. 17. Praeteritum quidem et futurum *non sunt;* nam *si nunc sunt* praeteritum et futurum tempus, *praesens erit utrumque ipsorum.*

Ibid. Si praesens tempus dividi potest in praeteritum et futurum, ita erit inexistens, utpote habens unam quidem partem sui *non amplius* existentem, alteram *nondum* existentem. Si est autem finis praeteriti principiumque futuri, sic et erit et non erit: *erit quidem ut praesens,* non erit autem, quia non sunt ejus partes.

Sext. Emp. adv. Math. l. IX c. 3 Praeteritum quidem *non est;* futurum autem *nondum est:* restat ergo, ut sit una pars, nempe *praesens.*

Aug. Conf. l. XI c. 14. Duo illa tempora, praeteritum et futurum, quomodo sunt, quando et praeteritum *jam non est,* et futurum *nondum est?*

XI.

§. 21 ***In tempore historico*** **existentia nullum habet locum, quia praeteritum jam non est, futurum nondum est, praesens autem nil est nisi punctum terminans inter praeteritum et futurum.**

Aug. Conf. l. XI c. 26 Tempus metior, scio, sed non metior futurum, quia *nondum est.* Non metior praesens, quia *nullo spatio tenditur.* Non metior praeteritum, quia *jam non est.*

Arist. Phys. l. IV. c. 10. Aliud enim temporis factum est et *non est*, aliud vero futurum est et *nondum est*, ex his autem tempus componitur. Quod autem ex iis, quae non sunt, componitur, fieri non posse videtur, ut possideat aliquando substantiam.

Ibid. Omnes rei partibilis necesse est, quando est, aut quasdam aut omnes partes esse: temporis autem aliae fuerunt, aliae vero futurae sunt, *nulla autem est.*

Boët. Consol. philos. l. V. Prosa 6ta. Sed crastinum quidem *nondum apprehendit:* hesternum vero *jam perdidit.* In hodierna quoque vita non amplius vivitis, quam in illo *mobili transitorioque momento.*

Sext. Emp. adv. Math. l. IX. c. 3. Qui autem dicunt, praesens tempus esse quidem *finem praeteriti, principium* autem *futuri*, ex duobus, quae esse non possunt, temporibus facientes unum, non solum unum, sed etiam omne tempus faciunt ejusmodi, ut esse non possit.

Ibid. Quod constat ex iis, quae non possunt esse, nec ipsum esse poterit. Censetur autem tempus constare ex iis, quae non possunt esse, nempe ex praeterito, quod *non est amplius*, et ex futuro, quod *nondum est.*

§. 22. ***In tempore vivo*** **existentia sive praesentia omnem complet locum, quia praeteritum jam peractum est, futurum adhuc exspectatur, sed in praesentia naturalis existentiae vivimus, agimus et existimus.**

Wagners Organon §. 138. Es erhält die Zeit in ihrer Dreigliedrigkeit eine neue Bestimmung durch das Leben des individuellen Subjekts, welches in der Zeit selber befangen, ihre Momente nach sich unterscheidet, und in den einen sich setzend, ihn G e g e n w a r t, die beiden diesen begränzende Momente aber V e r g a n g e n h e i t und Z u k u n f t nennt, wodurch für die Zeit drei Bestimmungen entspringen. Sie sind Beziehungen der Zeitreihe auf das sich in dieselbe hineinsetzende Subjekt, welches den Moment seines Hineinsetzens G e g e n w a r t nennt.

Hegels Phänom. S. 26. Das sich erhaltende J t z t ist nicht ein unmittelbares, sondern ein vermitteltes; denn es ist als

ein bleibendes und sich erhaltendes dadurch bestimmt, dass Anderes, z. B. der Tag und die Nacht, nicht ist. Dabei ist es aber noch so einfach, als zuvor, Jtzt, und in dieser Einfachheit gleichgültig gegen das, was noch bei ihm herspielt. So wenig die Nacht und der Tag sein Seyn ist, ebensowohl ist es auch Tag und Nacht, es ist durch dies sein Andersseyn gar nicht afficirt.

Fichte's Grundr. des Eigenth. der Wiss. Lehre. S. 106. Die Frage: ist denn nicht wirklich eine Zeit vergangen? ist mit der: giebt es denn ein Ding an sich oder nicht? völlig gleichartig. Es ist allerdings eine Zeit vergangen, wenn ihr eine setzet als vergangen, und wenn ihr jene Frage aufwerfet, setzet ihr eine vergangene Zeit. Wenn ihr sie nicht setzet, werfet ihr jene Frage nicht auf, und es ist sodann keine Zeit für euch vergangen.

C. *De motu temporis.*

XII.

§. 23. ***In tempore historico*** **est motus e praeterito in futurum.**

Quia enim in tempore historico praeteritum et futurum stant tanquam series annorum innumerorum §. 7., sicut eam depingimus in tabulis historicis, motus temporis historici est motus praesentiae ex praeterito in futurum.

Boët. Consol. philos. l. V. Prosa 6ta. Nam quidquid vivit in tempore, id *praesens a praeteritis in futura* procedit.

Aug. Conf. l. XI. c. 11. Videat, omne futurum ex praeterito consequi.

Arist. Phys. l. IV. c. 11. Ipsum autem Nunc sequitur id, quod fertur, ut tempus motum. Eo enim, quod fertur, cognoscimus prius et posterius in motu. *Quatenus enim numerabile est prius et posterius*, ipsum Nunc est.

Wolf. Ontol. §. 572. Tempus est ordo *successionum* in serie continua.

§. 24. ***In tempore vivo*** **est motus e futuro in praeteritum.**

Quia enim in tempore vivo praesentia stat tanquam intuitus praesens existentiae realis per sensum externum et internum §. 4., motus temporis vivi est transmutatio futuri in praeteritum per interpositam stabilem praesentiam.

August. Conf. l. XI. c. 17. *Ex aliquo procedit occulto, cum ex futuro fit praesens:* et in aliquod recedit occultum, cum *ex praesenti fit praeteritum.*

Ibid. c. 11. Videat, omne praeteritum *propelli ex futuro.*

Ibid. c. 14. Si ergo praesens ut tempus fit, ideo fit, quia *in praeteritum transit.*

Ibid. c. 21. Sed unde et qua et quo praeterit tempus? Unde, nisi ex *futuro?* Qua, nisi per *praesens?* Quo, nisi in *praeteritum?* Ex illo ergo, quod nondum est, per illud, quod spatio caret, in illud, quod jam non est.

Ibid. c. 28. Sed quomodo minuitur aut consumitur futurum? aut quomodo crescit praeteritum: nisi quia in animo sunt? Nam exspectat et attendit et meminit, ut *id, quod exspectat*, per *id, quod attendit*, transeat in *id, quod meminerit.*

D. De mensura temporis.

XIII.

§. 25. ***In tempore historico*** **praesentia nullo spatio tenditur, et est ulla extensione minor, dum sumitur tanquam praesentia pura, carens omni praeterito et futuro. §. 19.**

Aug. Conf. l. XI. c. 15. Si quid intelligitur temporis, quod in nullas jam vel in minutissimas momentorum partes dividi possit, id solum est, quod praesens dicatur. Quod tamen *ita raptim a futuro in praeteritum transvolat*, ut nulla morula extendatur. Nam si extenditur, dividitur in praeteritum et futurum. *Praesens autem nullum habet spatium.*

§. 26. ***In tempore vivo*** **praesentia est supra omnem extensionem et est ulla extensione major, dum sumitur tanquam praesentia pura, carens omni praeterito et futuro. §. 20.**

Aug. Conf. l. XI. c. 14. Praesens autem, si semper esset praesens, nec in praeteritum transiret, *jam non esset tempus, sed aeternitas.*

Ibid. c. 11. Videat, non praeterire quicquam in aeterno, sed *totum esse praesens*, et videat, *omne praeteritum ac futurum ab eo, quod semper est praesens, creari et excurrere.*

Platonis Timaeus p. Fic. 529. Atque *Erat* et *Erit*, quae nati temporis species sunt, non recte aeternae substantiae assignamus. Dicimus enim de illa: *Est, Erat* et *Erit.* Sed illi revera *solum Esse* competit.

Boët Consol. phil. l. V. Prosa 6ta. Cui neque futuri quicquam absit, nec praeteriti fluxerit, id *aeternum* esse jure perhibetur.

XIV.

§. 27. ***In tempore historico*** **datur mensura, quia praeteritum, praesens et futurum existunt alterum in altero tan-**

quam series ex omnibus tribus commixta §. 11., in qua quia omnia tria non nisi modo relativo existunt §. 7., homogeneum per homogeneum mensurari potest.

Aug. Conf. l. XI. c. 15. Dicimus longum tempus et breve tempus, neque hoc nisi de praeterito aut futuro dicimus. Quod autem longum fuit, praeteritum tempus, cum jam esset praeteritum, longum fuit, an, *cum adhuc praesens esset?* Tunc enim poterat esse longum, *quando erat*, quod esset longum. Praeteritum vero jam non erat, unde nec longum esse poterat, quod omnino non erat. Non ergo dicamus: longum fuit praeteritum tempus. Sed dicamus: *longum fuit illud praesens tempus*, quia *cum praesens esset, longum erat.*

Ibid. c. 27. Puta, altera vox coepit sonare, et adhuc sonat, continuato tenore sine ulla distinctione; metiamur eam, dum sonat. Cum enim sonare cessaverit, jam praeterita erit, et non erit, quae possit metiri. Metiamur plane, et dicamus, quanta sit. Sed adhuc sonat, nec metiri potest, nisi ab initio sui, quo sonare coepit, usque ad finem, quo desinit. Ipsum quippe intervallum metimur ab aliquo initio usque ad aliquem finem.

Ibid. c. 21. Dixi, quod *praetereuntia* tempora metimur. Nec metiri, quae non sunt, possumus, et non sunt praeterita vel futura. Praesens vero tempus quomodo metimur, quando non habet spatium? Metimur ergo, *dum praeterit.*

§. 28. *In tempore vivo* nulla datur mensura, quia inter puram existentiam (praesentiam) et puram non-existentiam (futurum et praeteritum) nulla est relatio mensurae.

Sext. Emp. Hyp Pyrrh. l. III. c. 17. Tempus mensurari non potest ab aliqua sui parte; nam si praesens mensurat praeteritum, erit in praeterito, et propterea praeteritum: et in futuro, similiter futurum; et futurum, si alia mensuret, praesens erit et praeteritum, et praeteritum itidem futurum erit et praesens. Quod rationi repugnat.

Eadem leguntur Sext. Emp. adv. Math. l. IX. c. 3.

Aug. Conf. l. XI. c. 21. In quo ergo spatio metimur tempus praeteriens? Utrum in *futuro*, unde praeterit? Sed quod nondum est, non metimur. An in *praesenti*, qua praeterit? Sed nullum spatium non metimur. An *praeterito*, quo praeterit? Sed quod jam non est, non metimur.

Ibid. c. 26. Tempus metior, scio. Sed non metior futurum, quia nullo spatio tenditur. Non metior praeteritum, quia jam non est.

Ibid. c. 27. Ipsum quippe intervallum metimur, ab aliquo initio usque ad aliquem finem. Quapropter vox, quae nondum finita est, metiri non potest. Cum autem finita

fuerit, jam non erit. Quo pacto igitur metiri poterit? Et metimur tamen tempora, nec ea, quae *nondum sunt*, nec ea, quae *jam non sunt*, nec ea, quae *nulla mora extenduntur*, nec ea, quae *terminos non habent*. Nec futura ergo, nec praeterita, nec praesentia, nec praetereuntia tempora metimur.

Schol. Inde efficitur, ut, quo magis versemur in contuitu temporis historici, e. g. in tranquilla animi attentione ad id, quod peractum, et ad id, quod agendum est, eo accuratiorem temporis mensuram percipiamus; quo magis autem versemur in contuitu temporis vivi, e. g. in affectibus, qui omnem vitam occupant, eo incertiorem temporis mensuram percipiamus, dum e. g. dolor tempus in aeternum prolongat, voluptas in unum momentum coërcet.

E. *De articulatione temporis.*

XV.

§. 29. *In tempore historico* partes non sunt disjunctae, sed tempus est una continua series instar lineae, quae partitur non secundum modos existentiae, sed secundum mensuram successionis. §. 3.

Cochius über die Analogie unter Ausdehn. und Dauer in *Hissmanns* Magaz. 4r Bd. S. 161. Es muss das Bild von der Dauer aus der Vorstellung einer Menge von auf einander folgenden Modificationen erwachsen, wobei diejenigen Modificationen, die zu klein sind und zu plötzlich vergehen, als dass sie percipirt werden könnten, das Bild von irgend etwas, was dauert, in uns erwecken.

Leibnitz Opp. ed. Dutens Tom. II. p. 1. pag 318. Tempus nihil aliud est, quam ordo successionum.

Okens Naturphilos. §. 61. Die Zeit ist die unendliche Succession der Zahlen oder der mathematischen Nichtse. Der mathematisirende, zählende Akt ist Zeit.

Arist. Phys. l. IV. c. 11. Numerus itaque quidam tempus est.

§. 30. *In tempore vivo* partes sunt disjunctae et signantur per modos existentiae rerum, praesens per existentiam ipsam, praeteritum et futurum per relationem existentiae ad meram possibilitatem. §. 14.

Wolfii Ontol. §. 583. Partes temporis actuales nullae sunt, nisi quae per existentias rerum actu designantur §. 584. Tempus *praesens* est, quod designatur per *existentiam* rei actu existentis. Praeteritum est, quod designatur per ex-

istentias rerum, quae ab actu in statum *possibilitatis* reciderunt. Futurum est, quod designatur per existentias rerum, quae ut *a potentia ad actum* traducenda considerantur.

Hegels Encyclopädie §. 259. Die Dimensionen der Zeit, die Gegenwart, Zukunft und Vergangenheit, sind die Auflösung des Werdens in die Unterschiede des Seyns als des Uebergehens in Nichts, und des Nichts als des Uebergehens in Seyn.

XVI.

§. 31. *In tempore historico* articulatio membrorum fit per divisionem seriei in partes. §. 19.

Kants Kr. d. V. Transsc. Aesth. 2r Absch. §. 4. 5) Alle bestimmte Grösse der Zeit ist nur durch Einschränkungen einer einigen zum Grunde liegenden Zeit möglich. Daher muss die ursprüngliche Vorstellung Zeit als uneingeschränkt gegeben seyn.

Idem legitur *Fries* Kr. d. V. 2te Aufl. 1r Bd. S. 174. 3)

Locke of human understanding Bock II. Chap. 14. §. 5. *Time* is to *Duration*, as Place to Expansion. They are so much of those boundless Oceans of *Eternity* and Immensity, as is *set out and distinguish'd* from the rest, as it were by Land-marks; and so are made use of to denote the Position of finite real Beings, in respect one to another, in these *uniform infinite Oceans of Duration* and Space.

Schellings transscend. Idealism. S. 300. Die Zeit ist nur Eine; was man verschiedene Zeiten nennt, sind nur verschiedene Einschränkungen der absoluten Zeit.

§. 32. *In tempore vivo* articulatio membrorum fit per multiplicationem ejusdem praesentiae. §. 20.

Okens Naturphilosophie §. 61. Die Zeit ist nichts anders, als die ewige Wiederholung des Ponirens.

Herbarts Hauptpunkte der Metaphysik. S. 64. Die Form der Wiederholung heisst Zeit.

Aenesidemus secundum Sext. Emp. adv Math. l. IX. c. 3. Diem et mensem et annum dixit esse *multiplicationem* ipsius Nunc.

Arist. Phys. l. IV. c. 12. Ut contingit, motum esse eundem et unum *iterum et iterum*, sic et tempus contingit.

XVII.

§. 33. *Tempus historicum* habet unam dimensionem, eamque una sola directione se extendentem. §. 31.

Wagners Organon §. 135. Demnach hat die Zeit nur Eine Dimension, indess der Raum drei hat.

Kants Kr. d. V. Transsc. Aesth. 2. Absch. §. 6. b) Wir stellen die Zeitfolge durch eine ins Unendliche fortgehende Linie vor, die nur von einer Dimension ist, und schliessen aus den Eigenschaften dieser Linie auf alle Eigenschaften der Zeit, ausser dem einigen, dass die Theile der ersteren zugleich, die der letzteren aber jederzeit nach einander sind.

§. 34. *Tempus vivum* habet nullam dimensionem, sed stat tanquam praesens, interna varietate motum. §. 4. 8.

Hegels Phaenom. S. 25 Auf die Frage: was ist das Itzt? antwortrn wir z. B. das Itzt ist die Nacht. Um die Wahrheit dieser sinnlichen Gewissheit zu prüfen, ist ein einfacher Versuch hinreichend. Wir schreiben diese Wahrheit auf. Sehen wir Itzt, diesen Mittag, die aufgeschriebene Wahrheit wieder an, so werden wir sagen müssen, dass sie schaal geworden ist. Das Itzt, welches Nacht ist, wird behandelt als ein seyendes, es erweiset sich aber vielmehr als ein nicht seyendes. Das Itzt selbst erhält sich wohl, aber als ein solches, das nicht Nacht ist; eben so erhält es sich gegen den Tag, der es Itzt ist, als ein solches, das auch nicht Tag ist; oder als ein negatives überhaupt.

XVIII.

§. 35. *Tempus historicum* apparet ut series durationis coëxistens seriei factorum et eventuum.

Wolfii Ontol. §. 581. Notionem adeo imaginariam temporis formatam idem consideramus tanquam ens compositum ex partibus *successivis continuis* nec intrinsece differentibus, a rebus successivis distinctum, cui eaedem *coëxistunt.*

Platners Aphorismen §. 968. Aus der verworrenen Vorstellung unmerklicher Veränderungen, in denen nichts Hervorstechendes und Unterscheidbares ist, entsteht in der Phantasie die Schein-Idee einer für sich bestehenden von allen gedenklichen Veränderungen unterschiedenen Zeit. §. 970. Eine Begebenheit geschieht in einer Zeit, heisst nichts anders, als: eine merkbare Reihe aufeinander folgender Veränderungen geht zugleich einher mit einer Reihe unmerkbarer.

§. 36. *Tempus vivum* apparet ut existentia ipsa cum mutationibus in ea comprehensis. §. 34.

Leibnitz Opp. ed. Dutens Tom. II. p. 1. pg. 122. Les instans *hors des choses* ne sont rien, et ne consistent que dans leur ordre successif.

Hegels Encyclopädie §. 258. Nicht in der Zeit entsteht und vergeht Alles, sondern die Zeit selbst ist das Werden, Entstehen und Vergehen.

Okens Naturphil. §. 63. Das Wechseln der Dinge ist eben die Zeit, ist kein Wechsel, so ist auch keine Zeit.

XIX.

§. 37. ***In tempore historico*** **praeterita, praesentia et futura non existunt simul, sed alterum post alterum.**

Kants Kr. d. V. Transscend. Aesth. 2ter Absch. §. 4. 3) Verschiedene Zeiten sind nicht zugleich, sondern nach einander.

§. 38. ***In tempore vivo*** **praeteritum et futurum non existunt §. 20., sed quatenus existunt, scil. in recordatione praeteritorum et exspectatione futurorum, omnes tres temporis partes existunt simul.**

Aug. Conf. l. XI. c. 20. Nec proprie dicitur: tempora sunt tria, praeteritum, praesens et futurum; sed fortasse proprie diceretur: tempora sunt tria: praesens de praeteritis, praesens de praesentibus, praesens de futuris.

XX.

§. 39. ***In tempore historico*** **praesentia pendet a praeterito ut a causa sua.**

Wagners Organon §. 138. Das Subjekt nennt den Moment seines Hineinsetzens in die Zeit Gegenwart. Dabei heisst dann der die Gegenwart begründende Moment Vergangenheit, und der von ihm begründete Zukunft.

Fichte's Grundr. des Eigenth. der Wiss. Lehre S. 104. 12). Und so bekommen wir eine Reihe Punkte als synthetische Vereinigungspunkte einer Wirksamkeit des Ich und des Nicht-Ich in die Anschauung, wo jeder von einem bestimmten andern abhängig ist, der umgekehrt von ihm nicht wieder abhängt, und jeder einen bestimmten anderen hat, der von ihm abhängig ist, ohne dass er selbst hinwiederum von ihm abhänge; kurz eine Zeitreihe.

§. 40. ***In tempore vivo*** **praeteritum i. e. memoria praeteritorum §. 38. pendet a praesenti, i. e. ab experientia existentiae.**

Fichte's Grundr. des Eigenthüml. der Wissensch. Lehre S. 106. b). Das ist der Charakter des gegenwärtigen Moments, dass auch jede andere Wahrnehmung in ihn fallen könnte. Dies ist nur möglich unter der Bedingung eines anderen Moments, in den keine andere Wahrnehmung gesetzt werden kann, als diejenige, welche in ihn gesetzt ist; und das ist der Charakter des vergangenen Moments.

F. De unitate temporis.

XXI.

§. 41. ***In tempore historico*** **praesentia altera est diversa ab altera, quatenus dissecat seriem temporis, est autem semper eadem, quatenus cogitatur tanquam unum idemque punctum currens per lineam.**

Aristot. Phys. l. IV. c. 13. Ipsum autem Nunc est *copulatio* temporis (*συνέχεια χρόνου*), copulat enim tempus praeteritum et futurum. Dividit autem potentiâ; et quatenus quidem hujusmodi, *semper alterum est* ipsum Nunc: quatenus autem copulat, *semper idem est.* Ut in mathematicis lineis. Non enim idem semper unumque punctum est intellectui; punctorum dividentium enim *aliud* est; quatenus autem linea est una, *idem* penitus est. Sic et ipsum Nunc aliud quidem temporis *divisio* est, aliud autem utrorumque est *unio:* est autem idem, et secundum idem *divisio et unio.*

Ibid. c. 11. Ipsum Nunc est quidem ut idem, est vero etiam ut non idem. Quatenus enim *in alio et alio est,* diversum est; quatenus vero *est id, quod est,* ipsum Nunc idem est.

Cochius über die Analogie unter der Ausdehnung und Dauer, in *Hissmann's* Magaz. für Phil. 4ter Bd. S. 155—56. Beides, Raum und Zeit, ist eine Ausdehnung. Eine jede Ausdehnung schliesst fürs erste eine Mehrheit der Theile ein, die wir in der Idee vereinigen. Das zweite Stück, welches man an der Ausdehnung wahrnimmt, ist die Continuität, wodurch sich ein Paar coëxistirende oder successive Theile berühren, d. h. deren Extremitäten sich in demselben Punkt beisammen finden.

Hegel's Encyclopädie §. 259. Das Itzt als die Einzelnheit ist ausschliessend und zugleich schlechthin continuirlich.

Schol. **De tertia praesentia historica seu** ***praesentia facti,*** **quae est identificatio praesentiae copulantis et dissecantis, infra adhuc erit disputatio.**

§. 42. ***In tempore vivo*** **praesens existentia in medio jacet aeterna, sed tendit in duplicem non-existentiam, futurorum et praeteritorum. §. 8.**

August. Conf. l. XI. c. 14. Duo illa tempora, praeteritum et futurum, quomodo sunt, quando et praeteritum *jam non est,* et futurum *nondum est?* Praesens autem si semper esset praesens, nec in praeteritum transiret, jam *non esset tempus, sed aeternitas.* Si ergo praesens ut tempus *fit,* ideo

fit, quia in praeteritum transit, ut scilicet non vere dicamus tempus esse, nisi *quia tendit in non-esse.*

Boët. Consol. Philos. l. V. Prosa 6ta. Neque enim Deus conditor rebus antiquior videri debet temporis quantitate, sed simplicis potius proprietate naturae.

Ibid. Est autem Deo semper aeternus ac *praesentarius status:* scientia quoque ejus omnem temporis supergressa mutationem, in suae manet simplicitate praesentiae, infinitaque praeteriti ac futuri spatia complectens, omnia, quasi jam gerantur, in sua simplici cognitione considerat. Itaque si praesentiam pensare velis, quâ cuncta dignoscat, non esse praescientiam quasi *futuri,* sed scientiam *nunquam deficientis instantiae* rectius aestimabis.

G. *De relatione temporum.*

XXII.

§. 43. Quoad *tempus historicum* tempus vivum nil est, quia coërcetur in indivisibile punctum praesentiae historicae.

Arist. Phys. l. IV. c. 11. Quando igitur tanquam *unum ipsum Nunc* sentimus, neque ut prius et posterius in motu, neque ut prioris et posterioris cujusdam, *non videtur tempus factum fuisse ullum.*

§. 44. Quoad *tempus vivum* tempus historicum *non existit,* quia aut fuit aut erit.

Aristot. Phys. l. IV. c. 10. Omnis rei partibilis necesse est, quando est, aut quasdam aut omnes partes esse: temporis autem aliae fuerunt, aliae vero futurae sunt: *nulla autem est.* Ipsum autem Nunc *non est pars.*

Ibid. c. 15. Praeteritum enim jam non est, et futurum nondum est. Non itaque dicamus: longum *est,* sed dicamus de praeterito: longum *fuit,* et de futuro: longum *erit.*

XXIII.

§. 45. *In tempore historico* apparet tempus vivum tanquam praesentia copulans §. 41., quae est in omni tempore eadem instar puncti, cujus motu trahitur linea.

Hegels Phänomen. S. 26. Das Itzt ist als bleibendes und sich erhaltendes dadurch bestimmt, dass anderes, wie der Tag und die Nacht, nicht ist. Dabei ist es aber noch so einfach, als zuvor, Itzt, und in dieser Einfachheit gleichgültig gegen das, was noch bei ihm herspielt.

Platonis Timaeus p. Fic. 529. Fecit aeternitatis in unitate manentis aeternam quandam in numero fluentem imaginem, quam nos tempus vocavimus.

§. 46. ***In tempore vivo*** **apparet tempus ~~historicum tan-~~ quam memoria rerum gestarum.**

Aug. Conf. l. XI. c. 27. Non ergo ipsas, quae jam non sunt, syllabas, sed aliquid in *memoria* mea metior, quod infixum manet. In te, anime meus, tempora metior, affectionem, quam res praetereuntes in te faciunt, et, cum illae praeterierint, manet.

H. De aeternitate.

XXIV.

§. 47. ***Tempus històricum*** **est corruptibile. Solvi enim potest in sua elementa, ex quibus compositum est §. 15., neque non potuit aliquando initium capere ex elementis temporis vivi, quae praecedebant existentiam ejus.**

Aug. Conf. l. XI. c. 11. Videat, omne praeteritum ac futurum ab eo, *quod semper est praesens*, creari et excurrere.

Ibid. c. 29. Ego in tempora dissilui, quorum ordinem nescio: et tumultuosis varietatibus dilaniantur cogitationes meae, intima viscera animae meae, *donec in te confluam* purgatus et liquidus.

§. 48. ***Tempus vivum*** **est incorruptibile, quia est una eademque stans praesentia §. 34. 42., quae omnes mutationes in se recipit tanquam commune pro omnibus quoddam domicilium. Sed domus, in quam intrare est existentia, ex qua egredi est interitus, ipsa in se ipsam neque potest intrare, neque egredi ex se ipsa.**

Aug. Conf. l. XI. c. 11. Quis tenebit cor nostrum, ut paululum stet et paululum rapiat splendorem *semper stantis* aeternitatis, et videat, *non praeterire quicquam in aeterno, sed totum esse praesens*, et videat, omne praeteritum ac futurum ab eo, quod semper est praesens, creari et excurrere?

Ibid. c. 13. Nec tu, Deus, tempore tempora praecedis, alioquin non omnia tempora praecederes. Sed praecedis omnia tempora praeterita *celsitudine semper praesentis aeternitatis.* Anni tui *nec eunt nec veniunt.* Anni tui omnes *simul stant*, nec euntes a venientibus excluduntur, quia non transeunt. Anni tui dies unus, et dies tuus *non quotidie*, *sed hodie.*

XXV.

§. 49. Aeternitas ***temporis historici*****, cujus existentia sita est in serie chronologica, est infinita hujus seriei prolongatio. §. 5.**

Kant's Kr. d. V. Transsc. Aesth. 2r Absch. §. 4. 5) Die Unendlichkeit der Zeit bedeutet nichts weiter, als dass alle bestimmte Grösse der Zeit nur durch Einschränkungen einer einigen zum Grunde liegenden Zeit möglich sey. Daher muss die ursprüngliche Vorstellung Zeit als uneingeschränkt gegeben seyn.

Idem dicit *Fries* Kr. d. V. 2te Aufl. 1r Bd. S. 174. 3)

Okens Naturphil. §. 61. Die Zeit ist die unendliche Succession der Zahlen. §. 62. Die Zeit ist unendlich; denn sie ist die Allheit des Ponirens.

Locke of human understanding, book 2, chap. 14. §. 5. *Time* and Place rightly considerd, are only Ideas of determinate Distances, from certain known Points fixed in distinguishable sensible things, and supposed to keep the same distance one from another. From such points fix'd in sensible Beings we reckon, and from them we measure our Portions of those *infinite Quantities,* which, so consider'd, are that, which we call *Time* and Place. For *Duration* and Space being in themselves *uniform and boundless*, the Order and Position of things, without such known settled Points, would be lost in them; *and all things would lie jumbled in an incurable Confusion.*

§. 50. Aeternitas *temporis vivi*, cujus existentia sita est in praesenti §. 42., est ipsa existentia sive praesentia in statu perfectissimo, ubi ei deest omnis non-existentia, i. e. omne futurum et praeteritum.

Platonis Timaeus p. Fic. 529. Atque *Erat* et *Erit*, quae nati temporis species sunt, non recte aeternae substantiae assignamus. Dicimus enim de illa: Est, Erat et Erit. Sed illi revera *solum Esse* competit.

Boët. Consol. phil. l. V. Prosa 6ta. Quod igitur interminabilis vitae plenitudinem totam pariter comprehendit ac possidet, cui neque futuri quicquam absit, nec praeteriti fluxerit, id *aeternum* esse jure perhibetur: idque necesse est et sui compos praesens sibi semper assistere.

Arist. Phys. l. IV. c. 11. Quando igitur tanquam *unum ipsum Nunc* sentimus, neque ut prius et posterius in motu, *non videtur tempus factum fuisse ullum.*

Aug. Conf. l. XI. c. 14. *Praesens* autem, si semper esset praesens, nec in praeteritum transiret, *jam non esset tempus, sed aeternitas.*

XXVI.

§. 51. Notio *aeternitatis historicae* tanquam infiniti temporum fluxus perfici et absolvi nequit, et formatur, ubi in contemplanda existentia relativa acquiescimus.

Boët. Consol. philos. l. V. Prosa 6ta. Quod temporis patitur conditionem, licet illud, sicut de mundo censuit Aristoteles, nec coeperit unquam esse, nec desinat, vitaque ejus cum temporis infinitate tendatur, nondum tamen tale est, *ut aeternum esse jure credatur.* Non enim totum *simul* infinitae licet vitae spatium comprehendit atque complectitur, *sed futura nondum transacta jam non habet.*

Ibid. Aliud est enim per interminabilem duci vitam, quod mundo Plato tribuit: aliud interminabilis vitae totam pariter complexam esse praesentiam, quod divinae mentis proprium esse manifestum est.

Platonis Parmenides p. Fic. 60. Item nec in tempore etiam ullo pacto ipsum unum erit unquam. Etenim necesse est, quicquid est in tempore, seipso semper senius fieri. Quinetiam nec longiori seipso tempore, neque breviori fieri, sed per aequale semper tempus secum ipso *fieri*, et *esse*, et *fuisse*, *futurum esse* ac *fore*. Nullius ergo temporis ipsum unum est particeps, nec in aliquo tempore.

§. 52. Notio *aeternitatis vivae* tanquam praesentiae stantis est distincta, perfecta et absoluta, et semper formatur, ubi distinctam hujus rei notionem desideramus.

Sext. Emp. adv. Math. l. IX. c. 3. Si in tempus non cadit ortus, et neque factum est, neque fiet, *unum erit solum tempus praesens;* et neque futurum est futurum, neque praeteritum est praeteritum.

Arist. Phys. l. IV c. 12. Quoniam autem est, ut in numero, Esse in tempore, accipietur *aliquod majus tempus* omni eo, quod est in tempore. Quapropter necesse est, omnia ea, quae in tempore sunt, *contineri a tempore*, sicut ea, quae in loco sunt, a loco. Quare manifestum est, quod ea, quae semper sunt, *quatenus semper sunt, non sunt in tempore.* Non enim continentur a tempore, neque mensuratur Esse ipsorum a tempore.

Aug. Conf. l. XI. c. 11. Videat, non praeterire quicquam in aeterno, sed totum esse praesens.

Ibid. c. 13. Nec tu, Deus, tempore tempora praecedis, alioquin non omnia tempora praecederes.

Platners Aphorismen. §. 975. Das Beharrliche allein ist gegenwärtig, die Veränderungen in ihm sind vergangen oder zukünftig.

Boët. Consol. phil. l. V. Prosa 6ta. Quod igitur interminabilis vitae plenitudinem totam pariter comprehendit et possidet, id necesse est *infinitatem mobilis temporis habere praesentem.*

Platon. Timaeus p. Fic. 529. Aeterna autem substantia, cum eadem semper et immobilis perseveret, *neque senior* seipsa fit unquam, *neque junior*, *neque fuit* hactenus, *neque*

erit in posterum, neque recipit eorum quicquam, quibus res corporeae mobilesque ex ipsa generationis conditione subjiciuntur. Nempe haec omnia temporis imitantis aevum seque *numero revolventis* species sunt.

XXVII.

§. 53. *Aeternus temporum fluxus* seriem saeculorum antecellit temporis quantitate. §. 49.

Kants Kr. d. V. Die Antin. der reinen Vern. Erster Widerstr. der transsc. Ideen. Man nehme an, die Welt habe der Zeit nach keinen Anfang, so ist bis zu jedem gegebenen Zeitpunkt eine Ewigkeit abgelaufen, und mithin eine unendliche Reihe auf einander folgender Zustände der Dinge in der Welt verflossen.

Cochius über die Analogie unter der Ausdehn. und Dauer in *Hissmans* Magaz. 4r Bd. S. 168. Die Wirkungen der Realität der nothwendigen Substanz (ihrer Tendenz) aber sind zufällige Substanzen. Aus welchem Grundsatz kann man denn schliessen, dass die Wirkung beschränkt sey, da es die Ursache nicht ist? Die Beschränkung der Grenzen der Zeit würde zu gleicher Zeit auch die Wirkung, die Tendenz, die Realität der nothwendigen Substanz beschränken.

§. 54. *Aeterna praesentia* seriem saeculorum non antecellit temporis quantitate, sed existentiae simplicitate. §. 50.

Boët. Consol. philos. l. V. Prosa 6ta. Neque enim Deus conditor rebus antiquior videri debet *temporis quantitate*, sed simplicis potius *proprietate naturae*.

Aug. Conf. l. XI. c. 13. Si cujusquam volatilis sensus te Deum omnicreantem ab opere tanto, antequam id faceres, per innumerabilia saecula *cessasse* miratur, falsa miratur. Nam unde poterant innumerabilia saecula praeterire, *quae ipse non feceras?* Id ipsum enim tempus tu feceras, nec praeterire potuerunt tempora, antequam faceres tempora. Nec tu *tempore tempora* praecedis, alioquin non omnia tempora praecederes.

Ibid. Superas omnia futura, quia et illa *futura sunt*, et, cum venerint, *praeterita erunt*. Tu autem *idem ipse es* et anni tui non deficient.

Sext. Emp. adv. Math. l. IX. c. 3. Si in tempus non cadit ortus, et neque factum est neque fiet, unum erit solum tempus praesens; et neque futurum est futurum, neque praeteritum est praeteritum.

XXVIII.

§. 55. *Temporum fluxus aeternus* est tempus rerum phaenomenorum, i. e. rerum, quarum existentia (praesentia)

commixta est cum non-existentia (praeteritis et futuris). §. 11.

Platonis Timaeus p. Fic. 529. Fecit aeternitatis in unitate manentis aeternam quandam *in numero fluentem imaginem*, quam nos tempus vocavimus.

Boët. Consol. Philos. l. V. Prosa 6ta. Hunc enim vitae immobilis *praesentarium statum* infinitus ille temporalium rerum motus *imitatur*; cumque eum effingere atque aequare non possit, ex *immobilitate* deficit in *motum*, ex *simplicitate praesentiae* decrescit in *infinitam futuri ac praeteriti quantitatem*, et, cum totam pariter vitae suae plenitudinem nequeat possidere, hoc ipso, quod aliquo modo nunquam esse desinit, illud, quod implere atque exprimere non potest, aliquatenus videtur *aemulari*, alligans se ad qualemcunque praesentiam hujus exigui volucrisque momenti, quae, quoniam *manentis* illius *praesentiae quandam gestat imaginem*, quibuscunque contigerit, id praestat, *ut esse videatur*. Quoniam vero manere non potuit, infinitum temporis iter arripuit, eoque modo factum est, ut continuaret *eundo* vitam, cujus plenitudinem complecti non valuit *permanendo*. Itaque si digna rebus nomina velimus imponere, Platonem sequentes, Deum quidem *aeternum*, mundum vero dicamus esse *perpetuum*.

§. 56. *Praesentia aeterna* est tempus existentiae purae seu existentiae rerum per se, i. e. rerum, quarum existentia (praesentia) non est commixta cum non-existentia (praeteritis et futuris).

Herbarts Hauptpunkte der Metaphysik. S. 66. Die Reihe der Zeit ist nichts, als nur für den Beobachter. Die ganze Unendlichkeit, welche einer solchen Reihe gegeben werden kann, ist um nichts länger, als das zeitlose Seyn selbst; — das Quantum aller Störungen viel kleiner, als wenn alle Wesen in möglichst vollkommner Durchdringung von Ewigkeit zu Ewigkeit mit einander ruheten; da denn die Ewigkeit, ohne Unterschied der Momente, ohne Zweifel Nichts bedeuten würde.

Fichte's Grundr. des Eigenth. der Wiss. Lehre S. 104. 14) Demnach sind die Dinge an sich und unabhängig von dem Ich betrachtet, zugleich im Raume; aber sie können nur nach einander, in einer successiven Reihe, deren jegliches Glied von einem andern abhängig ist, ohne dass dasselbe von ihm abhänge, wahrgenommen werden.

CAP. III.

Theoria Augustiniana

de partibus temporis vivi.

§. 57. In tempore vivo

Praesentia est idem, quod *existentia*.

Aug. Conf. l. XI. c. 18. *Si sunt* futura et praeterita, scio, ubicunque sunt, *non ibi ea futura esse aut praeterita*, **sed** *praesentia*. Nam si ibi futura sunt, nondum ibi sunt: si et ibi praeterita sunt, jam non ibi sunt. Ubicunque ergo sunt, quaecunque sunt, non sunt nisi praesentia.

Platon. Tim. p. Fic. 529. Saepe etiam dicimus, quod factum est, *esse* factum; quod fit, in generatione *esse*; quod fiet, *esse* faciendum: quorum nihil recte et exacta ratione dicimus.

Aug. Conf. l. XI. c. 14. Si nihil praeteriret, non esset praeteritum tempus: et si nihil adveniret, non esset futurum tempus: et si nihil *esset*, non esset praesens tempus.

Ibid. c. 17. Quisnam est, qui dicat mihi, non esse tria tempora, praeteritum, praesens et futurum, sed tantum praesens: quoniam illa duo non sunt.

Aenesidemus secundum Sext. Emp. adv. Math. l. IX. c. 3. Nam *Nunc* quidem, quod est significatio temporis, dixit non esse aliquid aliud, quam *essentiam* (*οὐσίαν*).

Sext. Emp. ibid. Si *est* autem utrumque, praeteritum et futurum, erit *in praesente*.

§. 58. In tempore vivo

Praeteritum est idem, quod *memoria*.

Aug. Conf. l. XI. c. 18. Praeterita, cum vera narrantur, ex *memoria* proferuntur, non res ipsae, quae praeterierunt, sed verba concepta *ex imaginibus* eorum, quae in animo velut vestigia per sensus praetereundo fixerunt. Pueritia quippe mea, quae jam non est, in tempore praeterita est, quod jam non est: *imaginem* vero ejus, cum eam recolo et narro, in praesenti tempore intueor, quia est adhuc in *memoria* mea.

Ibid. c. 28. Non longum praeteritum tempus, quod non est, sed longum praeteritum longa *memoria* praeteriti est.

Ibid. c. 27. Non ergo ipsas (syllabas), quae jam non sunt, sed aliquid in *memoria* mea metior, quod infixum manet. In te, anime meus, tempora metior, affectionem, quam res praetereuntes in te faciunt, et, cum illae praeterierint, manet.

Sext. Emp. adv. Gramm. lib. I. c. 6. *Longam* syllabam intelligi per *recordationem*. Prius enim dicti soni recordantes et eum, qui nunc dicitur, apprehendentes, id, *quod ex utrisque componitur*, dicimus esse longam syllabam.

Fichte's Grundriss des Eigenthümlichen der Wissensch. Lehre S. 105. a) Es ist für uns überhaupt gar keine Vergangenheit, als in wiefern sie in der Gegenwart gedacht wird. Was gestern war, ist nicht; es ist lediglich, inwiefern ich im gegenwärtigen Augenblick denke, dass es gestern war.

§. 59. In tempore vivo

Futurum est idem, quod *praemeditatio*.

Aug. Conf. l. XI. c. 18. Illud sane scio, nos plerumque *praemeditari* futuras actiones nostras, easque *praemeditatione esse praesentes*, actionem autem, quam praemeditamur, nondum esse, quia futura est. Quam cum aggressi fuerimus, et, quod praemeditabamur, agere coeperimus, tunc erit illa actio, quia tunc non futura, sed praesens erit.

Ibid. c. 28. Non igitur longum tempus futurum, quod non est, sed longum futurum longa *exspectatio* futuri est.

§. 60. Ergo Tempus vivum consistit ex his tribus partibus separatis:

1) ***Praesentia*** sive ***existentia***,

2) ***Praeterito*** sive ***memoria***,

3) ***Futuro*** sive ***praemeditatione.***

Pro *Existentia* etiam dici potest *contuitus*, *attentio*, *experientia*, qua concipimus existentiam.

Pro *Memoria* etiam dici potest *imagines phantasiae reproductivae.*

Pro *Praemeditatione* etiam dici potest *exspectatio*, *timor*, *spes*, *nisus*, *voluntas.*

Aug. Conf. l. XI. c. 28. Sed quomodo minuitur aut consumitur futurum, quod nondum est? Aut quomodo crescit

praeteritum; quod jam non est: nisi quia in animo, qui illud agit, tria sunt? Nam exspectat et *attendit* et *meminit*, *ut id, quod exspectat, per id, quod attendit, transeat in id, quod meminerit*.

Quis igitur negat, futura nondum esse? Sed tamen jam est in animo *exspectatio* futurorum. Et quis negat, praeterita jam non esse? Sed tamen adhuc est in animo *memoria* praeteritorum. Et quis negat, praesens tempus carere spatio, quia in puncto praeterit? Sed tamen perdurat *attentio*, per quam pergat abesse, quod aderit.

Non igitur longum tempus futurum, quod non est; sed longum futurum longa *exspectatio* futuri est. Neque longum praeteritum tempus, quod non est; sed longum praeteritum longa *memoria* praeteriti est.

Ibid. c. 20. Nec proprie dicitur: tempora sunt tria, praeteritum, praesens et futurum; sed fortasse proprie diceretur: tempora sunt tria: praesens de praeteritis, praesens de praesentibus, praesens de futuris. *Sunt enim haec in anima tria quaedam, et alibi ea non video.* Praesens de praeteritis *memoria*, praesens de praesentibus *contuitus*, praesens de futuris *exspectatio*.

CAP. IV.

Corollaria ex theoria Augustini.

Theoria temporis transscendentalis.

I.

De existentia temporis transscendentalis.

Demonstratio prima.

§. 61. In tempore historico tres temporis partes existunt confusae et commixtae. §. 13.

§. 62. In tempore vivo existunt separatae quidem, sed ita ut arctissime cohaereant, neque altera concipiatur sine altera, e. g. memoria praeteritorum non sit sine vestigiis praesentiae, praesentia non sit sine memoria praeteritorum nec sine exspectatione futurorum, futurum non sit sine nisu per praesens in praeteritum sese transmutandi. §. 8. 24.

§. 63. In tempore vivo igitur temporis partes jam disjunctae sunt, sed ad dimidium.

Quid fiet, si prorsus disjungantur?

Evenietne tertium novum tempus?

Quidnam erit hoc novum tempus?

§. 64. Tempus historicum et tempus vivum data sunt in perceptione per experientiam, tempus tertium est hypothesis, quae prosilit ex theoria temporis vivi tanquam corollarium.

§. 65. Ea igitur notio temporis, quam concipimus per intuitionem empiricam temporis vivi, nondum plane exprimitur per ipsum tempus vivum.

Ad eam plane exprimendam recurrendum est ad tempus tertium, quod non cadit in experientiam, cujus tamen partes nobis hypothetice construimus per analogiam et inductionem ex datis temporis vivi.

Demonstratio secunda.

§. 66. *In futuro* tempore vivo apparet neque spatium, neque numeratio. §. 60.

§. 67. *In praesenti* tempore vivo apparet spatium, neque numeratio. §. 4. 8. 60.

§. 68. *In praeterito* tempore vivo apparet et spatium et numeratio. §. 46. 60.

§. 69. Ergo: In praeterito existit *historia.*

In praesenti existit *natura.*

In futuro existit nil nisi *merum tempus.*

§. 70. *Tempus historiae* seu vitae praeteritae est *tempus historicum.*

§. 71. *Tempus naturae* seu vitae praesentis est *tempus vivum.*

§. 72. Quum videamus, mundum historiae imbutum esse proprio tempore, in quo praeteritum, praesens et futurum ita commixta sunt, ut mensurari possint §. 27; quum videamus, mundum naturae imbutum esse proprio tempore, in quo illa membra diremta et ad dimidium purificata sunt §. 63.: desideratur tempus tertium, quod ita arctissime cohaereat cum futuro, ut historicum cum praeterito, vivum cum praesente.

***Schol.* Philosophi plerumque constiterunt in definiendo et observando tempore historico. Sed humana facultas valet ascendere ad perspicuitatem temporis vivi. Summa vero et principalis temporis theoria puriorem existendi rationem supponit in mundo entium per se et temporis per se, cui oculi nostri adhuc occlusi sunt, dum vivimus hanc vitam terrenam vigiliae et somnii. Sed viâ inductionis et analogiae e qualitate et proportione partium temporis historici et vivi concludi possunt nonnulla ad qualitatem et proportionem partium temporis transscendentalis pertinentia.**

II.

De qualitate partium temporis transscendentalis.

Demonstratio prima.

Sicut in spatio nunquam cognoscimus punctum per se, lineam per se, planitiem per se, sed puncta composita cum lineis, lineas compositas cum punctis etc., sic etiam in tempore nunquam cognoscimus praesens per se, praeteritum per se, futurum per se, sed cognoscimus semper haec tria membra in statu combinationis arctissimae; — illaque quidem tanquam membra commixta et transfusa in aeterna serie temporis historici, illaque autem tanquam membra distincta, sed certa et necessaria proportione inter se cohaerentia in praesentia mobili et variabili temporis vivi. Mera Praesentia, merum Praeteritum, merum Futurum non cognoscitur, nec in tempore vivo, nec in tempore historico.

Ad investigandum, quaenam sit natura horum membrorum, si per se et extra ullam relationem considerentur, supponamus, quae in tempore vivo observavimus, nempe:

§. 73. *Praesentia* per se est Existentia §. 57.

Praeteritum per se est Memoria. §. 58.

Futurum per se est Exspectatio, Praemeditatio. §. 59.

Videamus, an hoc possit sic se habere:

§. 74. *Praesentiam per se* oportet esse praesentiam, quae non modificata est, nec a praeterito, nec a futuro.

Praeteritum per se oportet esse praeteritum, quod non modificatum est, neque a praesenti, neque a futuro.

Futurum per se oportet esse futurum, quod non modificatum est, neque a praeterito, neque a praesenti.

§. 75. *Memoria* modificata est semper ab existentia quadam. Nam memoria rei, cui nunquam existentia convenisset, nulla esset memoria, sed imago phantasiae productivae.

§. 76. *Existentia* semper modificata est ab intuendi facultate, quae rebus-per-se immiscet aliquid imaginarium ex

indole phantasiae productivae. Pura itaque existentia sive praesentia non est haec variabilis naturae existentia, sed existentia simplex entium-per-se. §. 56.

§. 77. *Exspectatio* semper modificata est ab existentia et memoria, quia id, quod nullo modo concludimus e statu existentiae aut praesentis aut praeteritae, nullo modo exspectamus. Exspectatio ejus, cujus possibilitas non data est per praesentiam, non est exspectatio, sed merum desiderium.

§. 78. Itaque mutatae sunt notiones priores:

Memoria mutata est in phantasiam productivam.

Existentia naturae mutata est in existentiam entium-per-se.

Exspectatio mutata est in desiderium et cupiditatem.

§. 79. Loco *praesentiae* nunc tenemus *entia per se.*

Loco *praeteriti* nunc tenemus *phantasiam.*

Loco *futuri* nunc tenemus *cupiditatem.*

§. 80. Ex his iterum restituere licet membra temporis vivi.

Nam *entia per se*, si recipiunt formas humanae phantasiae vel intuendi facultatis, mutantur in entia phaenomena, i. e. *praesens vivum.*

Nam *phantasia*, si recipit res existentes, mutatur in memoriam, i. e. *praeteritum vivum.*

Nam *desiderium*, si recipit res existentes simul cum imaginibus phantasiae ut exemplaribus existentiae futurae, mutatur in exspectationem et praemeditationem, i. e. *futurum vivum.*

§. 81. *Praesentia per se* est existentia entium per se. In qua continetur omnis *realitas* mundi materialis.

Praeteritum per se est phantasia. Phantasia consistit ex imaginibus, quae sunt purae *formae* rerum.

Futurum per se est desiderium. Desiderium consistit ex aliquo impetu, nisu, *vi.*

§. 82. Praesentia pura consistit ex entibus per se, i. e. realitate, puris *materiis.*

Praeteritum purum consistit ex phantasia, i. e. imaginibus, puris *formis.*

Futurum purum consistit ex desiderio, i. e. nisu, puris *viribus*.

§. 83. Ergo tempus per se consistit ex tribus mundis separatis, qui autem per suam compositionem et penetrationem formant mundum hunc visibilem: scil.

ex mundo purarum *materiarum* seu *realitatum*,
ex mundo purarum *formarum* seu *imaginum*,
ex mundo purarum *virium* seu *cupiditatum*.

Demonstratio secunda.

§. 84. *Praeteritum purum* est idem, quod *phantasma*.

Argumentum: Praeterita, quia non jam existunt, existunt tanquam imagines in memoria. Sed imagines memoriae non sunt sine relatione ad existentiam, i. e. praesentiam quandam. Si spolias praeteritum tempus omni praesentia, i. e. existentia, remanet nil nisi merae imagines, quae pertinent ad nullam praesentiam sive existentiam, ut e. g. sunt imagines in memoria infideli.

Schol. 1. Inde efficitur, ut propensi sint homines, antiquissimum tempus, quo memoria, i. e. praeteritum vivum desinit, ornare decoribus praeteriti puri, i. e. fabulis et mythis.

Schol. 2. Ille vitae status, quo vivimus in praeterito puro tanquam in aliqua praesentia, est somnium.

Schol. 3. Quia perceptioni entium-per-se semper admixta est aliqua pars phantasiae productivae vel intuitionum a priori, dicere licet, praesentiae nostrae semper admixtam esse aliquam portionem praeteriti. §. 56.

§. 85. *Futurum purum* est idem, quod *persona mea*, sive expetendi et agendi facultas.

Argum: Exspectatio absque re, quae exspectatur, est animi nisus et intentio §. 77. 60., expetendi et agendi facultas, quae eadem est facultas cupiendi et desiderandi, facultas practica, i. e. persona mea.

§. 86. *Praesentia pura* est idem, quod *entia-per-se* Cf. §. 56.

Argum: **Praesentia pura est sola praesentia, cui nulla pars praeteriti puri, i. e. intuitionum aprioricarum admixta est, quae est existentia entium-per-se. §. 84. *Schol.* 3.**

§. 87. Tempus per se est compositio trium principiorum metaphysicorum philosophiae criticae.

Argum. **Tempus per se compositum est ex praesenti seu entibus-per-se, ex praeterito seu intuitionibus phantasiae aprioricis et ex futuro seu persona mea, i. e. subjecto transscendentali. §. 84. 85. §6.**

Schol. **Hanc temporis compositionem *Fichte* nec non *Schelling* recte jam suspicati sunt. Sed theoria eorum in eo manca est, ut rationem quidem habeat et praesentiae purae et futuri puri, neque tamen praeteriti puri, quod hi loci ipsi distinctius declarabunt:**

Fichte's Grundr. des Eigenth. der Wiss. Lehre. S. 104. 12). Und so bekommen wir eine Reihe Punkte als synthetische Vereinigungspunkte einer Wirksamkeit des Ich (*Futuri per se*) und des Nicht-Ich (*Praesentis per se*) in der Anschauung, wo jeder von einem bestimmten andern abhängig ist, der umgekehrt von ihm nicht wieder abhängt, und jeder einen bestimmten andern hat, der von ihm abhängig ist, ohne dass er selbst hinwiederum von ihm abhänge; kurz eine Zeitreihe (*Tempus historicum*).

S. 105. 13) Das Ich (*Futurum per se*) setzte sich, nach obiger Erörterung, als völlig frei, mit den Punkten zu vereinigen, was es nur wollte, also das gesammte unendliche Nicht-Ich (Praesens per se). Der so bestimmte Punkt ist nur zufällig und nicht nothwendig; nur abhängig, ohne einen andern zu haben, der von ihm abhängt, und heisst der gegenwärtige (*Praesens historicum*).

14) Demnach sind, wenn von der synthetischen Vereinigung eines bestimmten Punktes mit dem Objekt (*Praesente*), mithin von der gesammten Wirksamkeit des Ich (*Futuri*), die nur durch diesen Punkt mit dem Nicht-Ich (*Praesente*) vereinigt ist, abstrahirt wird, die Dinge an sich (*Praesens*) und unabhängig von dem Ich (*Futuro*) betrachtet, zugleich im Raume; aber sie können nur nach einander, in einer successiven Reihe, deren jegliches Glied von einem andern abhängig ist, ohne dass dasselbe von ihm abhänge, wahrgenommen werden in der Zeit (*in serie temp. hist*).

S. 106. b) Bewusstseyn ist nur möglich unter der Bedingung, dass das Ich (*Futurum, Voluntas*) ein Nicht-Ich (*Praesens, Existentiam*) sich entgegensetzt; dieses Entgegensetzen begreiflicher Weise nur unter der Bedingung,

dass es seine ideale Thätigkeit (*Futurum*) auf das Nicht-Ich (*Praesens*) richte. Diese Thätigkeit ist die seinige (*activitas Futuri*) und nicht die des Nicht-Ich (*Praesentis*), lediglich inwiefern sie frei ist, inwiefern sie dennoch auf jedes andere Objekt (*Praesens*) gehen könnte, als auf dieses. So muss sie gesetzt werden, wenn ein Bewusstsein möglich sein soll, und so wird sie gesetzt, und dies ist der Charakter des gegenwärtigen Moments (*Praesentiae vivae*), dass auch jede andere Wahrnehmung in ihn fallen könnte. Dies ist nur möglich unter Bedingung eines andern Moments, in den keine andere Wahrnehmung gesetzt werden kann, als diejenige, welche in ihn gesetzt ist; und das ist der Charakter des vergangenen Moments (*Praeteriti vivi seu memoriae*).

Schellings System des transscend. Idealism. S. 213. Wie wird denn nun aber das Ich (*Futurum, Voluntas*) sich als innerer Sinn zum Objekt (*Praesens, Existentia*)? Einzig und allein dadurch, dass ihm die Zeit entsteht. Indem das Ich (*Futurum*) sich das Objekt (*Praesens*) entgegensetzt, entsteht ihm das Selbstgefühl, d. h. es wird sich als reine Intensität, als Thätigkeit, die nur nach einer Dimension sich expandiren kann, aber jetzt auf Einen Punkt zusammengezogen ist, zum Objekt (*Praesens*), aber eben diese nur nach einer Dimension ausdehnbare Thätigkeit ist, wenn sie sich selbst Objekt wird, Zeit (*Series temp. hist.* §. 33). Die Zeit ist nicht etwas, was unabhängig vom Ich (*Futuro*) abläuft, sondern das Ich (*Futurum*) selbst ist die Zeit, in Thätigkeit gedacht.

§. 88. Tempus est compositio trium vitae nostrae statuum, status *vigiliae*, status *somnii*, status *mortis*.

Argum. **Status somnii consistit ex imaginibus phantasiae. §. 84. *Schol.* 2. Status vigiliae consistit ex vita in rerum natura §. 4. 8. Statum mortis considerare licet tanquam morbum in crisi sua perseverantem. In morbo et morte regnant intima vitae desideria et affectus. §. 77.**

§. 89. Hi tres vitae status sunt principia rerum ut tres mundi, mundus *materiarum*, mundus *formarum*, mundus *virium*. §. 83.

Argum. **Imagines phantasiae sunt purae formae, i. e. ideae, causae finales. Entia-per-se sunt purae materiae, i. e. substantiae, causae materiales. Appetitus et desideria sunt purae vires, i. e. causae efficientes. Substantiae igitur efficiunt mundum vigiliae, formae efficiunt mundum somnii, vires efficiunt mundum mortis.**

Schol. Ideo in quavis mortificatione et de vita desperatione, ut in periculis, egestate, tribulatione, est magna collectio virium, sicut dicitur: Um gut zu ärndten, säe mit Verzweiflung, et: Amor est fortis, sicut mors.

§. 90. Tres mundi, ex quibus consistit tempus-per-se, sunt tres summae ideae Platonicae.

Argum. Mundus entium-per-se est mundus veritatis. Mundus exemplarium phantasiae est mundus pulchritudinis. Mundus personarum sive agendi facultatum est mundus virtutis sive bonitatis.

§. 91. Tres mundi temporis-per-se pertinent ad tres facultates psychologicas.

Argum. Sicut praeteritum seu mundus imaginum pertinet ad facultatem imaginandi, et sicut futurum seu mundus instinctuum pertinet ad facultatem cupiendi, ita praesens pertinet ad facultatem intelligendi, quia existentia concipitur per intellectum, qui consistit ex perceptione et cogitatione. Cf. §. 60. lin. 6.

III.

De motu temporis.

Demonstratio prima.

§. 92. Nexus inter potentias, realitates et memoriae imagines est hic:

Res producuntur ex potentiâ in actum; quod latuit in sola vi, procedit in lucem aut ut substantia aut ut actus realis.

Substantiae intereunt, actiones praetereunt, sed remanet memoria earum et imago in phantasia reproductiva.

§. 93. Ex hoc processu sequitur sempiterna diminutio virium, quae transmutantur continuo in actiones et substantias, sempiterna variatio actionum et substantiarum, quae continuo intereunt et creantur, sempiterna accumulatio imaginum memoriae, in quas tandem omnia confluunt.

§. 94. Atqui: Tempus praeteritum est mundus imaginum.

Tempus praesens est mundus actionum et substantiarum.
Tempus futurum est mundus virium.

Ergo: Tempus futurum necessario transmutatur in praesentiam, et tempus praesens necessario transmutatur in praeteritum.

§. 95. Ergo: Tempus futurum necessario diminuitur.
Tempus praesens necessario variatur.
Tempus praeteritum necessario crescit.

§. 96. Atqui: Tempus praesens est natura. §. 67.
Tempus praeteritum est historia. §. 69. 46.
Tempus futurum est vis. §. 82.

Ergo: *Natura* ut praesentia semper mutatur, neque crescit, neque diminuitur.

Historia ut praeteritum semper crescit, neque mutatur, neque diminuitur.

Vis ut futurum semper diminuitur, neque mutatur neque crescit.

§. 97. Ergo: *Praeteritum* stat immutabile. Forma immutabilitatis est *necessitas*.

Praesens variatur semper et semper. Forma variationis qua talis est *fortuitus*.

Futurum emittit semper et semper. Forma emissionis actionum e vi est *possibilitas*.

§. 98. Ergo: *Praeteritum* involvit necessitatem.
Praesens involvit fortuitum.
Futurum involvit possibilitatem.

§. 99. Ergo: *Historia* continet res sub forma *necessitatis* existentiae, quae est nexus causalis.

Natura continet res sub forma *fortuitus* existentiae, qui est contuitus existentiae immediatae.

Vis continet res sub forma *possibilitatis* existentiae, quae est existendi, vivendi et agendi facultas.

Demonstratio secunda.

§. 100. Mundus existentiae incrementum accipit e mundo virium.

Mundus memoriae incrementum accipit e mundo existentiae.

Unde efficitur, ut

mundus memoriae semper crescat, neque diminuatur, neque mutetur,

mundus virium semper diminuatur, neque crescat neque mutetur,

mundus naturae semper mutetur, neque crescat neque diminuatur.

§. 101. Ex his efficitur duplex motus in tempore:

1) *Motus formalis* temporis historici a praeterito in praesens et a praesente in futurum. §. 23.

Nam si seriei in duas partes partitae altera pars crescit, altera autem diminuitur tantum, quantum altera crescit: terminus inter utrasque (i. e. praesentia) movebitur a parte crescente (praeterito) in partem, quae diminuitur (futurum).

2) *Motus existentialis* temporis vivi a futuro in praesens et a praesente in praeteritum. §. 24.

Quippe vires, simulac agunt, mutantur in actiones et producta, et actiones, simulac apparent, mutantur in imagines memoriae.

Utrique motus inter se conjuncti plane explicant symbola, quae nobis occurrunt in contemplandis temporis partibus. Nam:

§. 102. *Praeteritum* est tempus, in quod omnia confluunt, et quod crescit, dum semper plura in se recipit et conservat, quasi *stomachus edens*. Cf. Cap. I. Qu XIV.

§. 103. *Praesens* est tempus, in quo est variatio tanquam motus ab altero latere in alterum, quia in puncto praesentiae sibi occurrunt motus e praeterito in futurum et motus e futuro in praeteritum. Quo efficitur imago oscillationis cujusdam, ut in *animale currente*. Cf. l. c.

§. 104. *Futurum* est tempus, ex quo omnia fluunt, et quod ideo evacuatur, quasi vas effusum aut *mulier pariens*. Cf. l. c.

IV.

De proportione partium temporis.

§. 105. In praesentia *temporis historici* nihil cernitur, quia nullo spatio tenditur. §. 19.

§. 106. In praesentia *temporis vivi* cernitur spatium cum rebus, quae ab eo continentur, et quas nomine *naturae* appellamus. §. 67.

§. 107. In praeterito *temporis vivi* cernitur memoria factorum et eventuum, quae est spatium meae *phantasiae reproductivae*. §. 60. lin. 8.

§. 108. Futurum et praeteritum *temporis historici* formant seriem chronologicam *historiarum* omnis aevi. §. 19.

§. 109. Futurum *temporis vivi* continet nihil in se. Cf. §. 66.

§. 110. Futurum *vivum* igitur idem continet, quod praesens *historicum*. §. 109. 105.

§. 111. Praesens et praeteritum *vivum* continent spatium quoddam; praesens enim continet spatium naturale seu objectivum, *naturam*, praeteritum autem spatium ideale seu subjectivum, *phantasiam reproductivam*. §. 106. 107.

§. 112. Praeteritum et futurum *historicum* continent numerum quendam; praeteritum enim continet numerum chronologicum realem, scilicet seriem factorum praeteritorum *historiae*, futurum autem seriem chronologicam eventuum nondum existentium, sive seriem numerorum abstractam.

§. 113. Praesens *vivum* et praeteritum *historicum* sibi cognata sunt tanquam *rerum natura* §. 106. et *rerum historia* §. 112.

§ 114. Praeteritum *vivum* et futurum *historicum* sibi cognata sunt tanquam duo vacua schemata, quorum alterum continet spatium in memoria idoneum ad accipienda objecta naturae, alterum continet seriem numericam idoneam ad accipienda objecta historiae. §. 107. 112.

§. 115. Praesens *historicum* et futurum *vivum* sibi cognata sunt tanquam duo vacua, in quibus nihil cernitur. §. 110.

§. 116. In *tempore vivo* igitur praeteritum et praesens

continent objecta, eaque sub forma spatii §. 111: spatii subjectivi memorialis, et spatii objectivi naturalis. Sed futurum adjicitur tanquam quoddam vacuum extra spatium.

§. 117. In *tempore historico* praeteritum et futurum continent objecta, eaque sub forma numeri: numeri subjectivi abstracti, et numeri objectivi factorum historicorum. §. 112. Sed praesens adjicitur tanquam quoddam vacuum extra numerum.

§. 118. Utrumque tempus igitur, et tempus *historicum* et tempus *vivum*, habet duo membra repleta, quae continent aliquid, et unum membrum vacuum, quod continet nihil.

§. 119. Membra repleta sunt in tempore *historico* praeteritum et futurum, in tempore *vivo* praeteritum et praesens. Superest tertius casus, in quo praesens et futurum sint membra repleta.

§. 120. In tempore *historico* est membrum vacuum praesentia, in tempore *vivo* est membrum vacuum futurum. Superest tertius casus cogitabilis, quo membrum vacuum sit praeteritum.

§. 121. T*empus tertium* est cogitabile, in quo membrum praesens et futurum erunt repleta, membrum praeteritum autem vacuum.

§. 122. Praeteritum, quod est repletum modo subjectivo in tempore *vivo*, modo objectivo in tempore *historico*, in tempore *tertio* erit vacuum.

§. 123. Praesens, quod est vacuum in tempore *historico*, repletum modo objectivo in tempore *vivo*, in *tertio* tempore repletum erit modo subjectivo.

§. 124. Futurum, quod est vacuum in tempore *vivo*, repletum modo subjectivo in tempore *historico*, in tertio tempore repletum erit modo objectivo.

§. 125. Cum in tempore *vivo* objecta appareant sub forma *spatii*; cum in tempore *historico* objecta appareant sub forma *numeri*: nil superest pro tempore tertio, quam ut objecta appareant sub forma meri *temporis*; quia numerus,

spatium et tempus sunt ternarius aprioricus formarum intuitionis nostrae.

§. 126. Quum tempus *historicum* sit tempus sub forma *numeri*, quum tempus *vivum* sit tempus sub forma *spatii*, et tempus *tertium* sit tempus sub forma ipsius *temporis*, non dubium est, quin tempus vivum et historicum sint tempora phaenomena, tempus tertium autem tempus per se, hoc modo articulatum:

§. 127. *Praesens* cum *futuro* continebunt objecta sub forma puri temporis, quae erit in praesenti ut forma subjectiva et abstracta, in futuro autem ut forma objectiva et repleta, fortasse ut perpetua transmutatio, evolutio et creatio earum rerum, quae in ea cernuntur. Praeteritum adjicietur tanquam quoddam vacuum, nihil in se continens.

§. 128. In *tempore vivo* stat et praesentia et praeteritum, movetur *futurum* per praesentiam in praeteritum. Itaque *stant* dua repleta. *Movetur* tertium vacuum per membrum objectivum in subjectivum.

§. 129. In *tempore historico* stat et praeteritum et futurum, movetur *praesentia* a praeterito ad futurum. Itaque *stant* duo repleta. *Movetur* tertium vacuum a membro objectivo in subjectivum.

§. 130. Ex his per analogiam concluditur, in *tempore tertio* stare et praesens et futurum, moveri autem *praeteritum*, et moveri quidem a parte objectiva in partem subjectivam, i. e. a futuro in praesens. De qua proportione autem frustra in hoc vitae statu experimur concipere imaginem.

V.

Summa theoriae temporis transscendentalis.

§. 131. Tempora tria hac proportione inter se cohaerent: Tempus historicum existit per commixtionem et transfusionem praeteriti, praesentis et futuri §. 15.

Tempus vivum existit per arctam relationem praeteriti, praesentis et futuri §. 62., qua alterum relucet in altero.

Tempus problematicum existit per disjunctionem praeteriti, praesentis et futuri. §. 65.

§. 132. In tempore historico praesens fingitur esse simul aut praeteritum aut futurum, futurum simul aut praesens aut praeteritum, praeteritum simul aut praesens aut futurum. §. 7.

In tempore vivo praesentia sive intuitio entium-per-se maculata est aliqua parte praeteriti sive phantasiae productivae, praeteritum sive phantasia productiva haeret in imaginibus memoriae, et futurum sive voluntas ligatur multis et externis et internis vinculis. §. 75. 76. 77.

Tempus transscendentale oportet esse vere aeternum ut vere existens praesentia pura §. 56., cui nulla vel minima macula non-existentiae sit adjecta, in qua simul cum existentia pura contenta sit liberrima phantasia productiva, nullis reminiscentiae limitibus retenta, nec non liberrima voluntas, nullis improvisis eventibus et obstaculis impedita. §. 84—86.

§. 133. Relatio temporis ad spatium et numerum haec est:

In *tempore vivo* apparet spatium, in quo est natura, consistens ex materiis et substantiis. §. 106.

In *tempore historico* apparet series numerorum, in qua est historia, consistens ex factis et eventibus. §. 112.

In *tempore transscendentali* apparet mera temporis-per-se notio. §. 127.

§. 134. In tempore historico existit et tempus et spatium et numerus. §. 68. 46.

In tempore vivo existit et tempus et spatium neque numerus. §. 67.

In tempore per se existere oportet solum tempus, neque spatium, neque numerus. §. 72.

§. 135. Tempus per se est compositio trium mundorum. §. 83.:

1) Mundi *existentiae*, in quo vivimus in statu *vigili* vitae nostrae. §. 88.

2) Mundi *phantasiae* aut *imaginum*, in quo vivimus in statu somniorum. §. 88.

3) Mundi *desideriorum* aut *virium vitalium*.

§. 136. Mundum existentiae praecipue percipimus: 1) in tactu, 2) in loquendo, discendo et agendo, 3) in statu vigiliae.

Mundum imaginum praecipue percipimus: 1) in visione oculorum, 2) in phantasia et poësi, 3) in statu somnii.

Mundum appetituum praecipue percipimus: 1) in gustu et fame, 2) in voluntate et moralitate, 3) in dolore, morbo et morte.

§. 137. In tempore conveniunt octies tres mundi:

Mundus numeri, spatii et temporis. §. 133.

Mundus historiae, naturae et vis vitalis. §. 96.

Mundus formarum, materiarum et virium. §. 89.

Mundus intuitionum-a-priori, entium-per-se et subjecti transscendentalis. §. 87.

Mundus somnii, vigiliae et mortis. §. 88.

Mundus pulcri, veri et boni. §. 90.

Mundus phantasiae, intellectus et voluntatis. §. 91.

Mundus visionis, tactus et gustus. §. 136.

Schol. Plura, quae in libro nuper edito[1]) de rebus transscendentalibus disserui, hac theoria lucem clariorem accipiunt. Quod scil. illic affirmavi de praesentia stante et omnia tempora perdurante[2]), lucem accipit ex §. 48. 50. 54; de aeternis eventibus, qui semper fiunt[3]), ex §. 56; de Deo summo, qui inhabitat locum et tempus, quod fugit contuitum status vigiliae, quodque non percipi potest nisi in statu mortis[4]), ex §. 72. *Schol.*, §. 88. *Argum.*, §. 89.

1) Philosophische Meditationen über Plato's Symposion. Heidelberg bei Groos. 1835.

2) Pag. 3. — unsern Geist desto leichter zu erheben über alle Zeit, oder vielmehr in die einzig wahrhafte und ewige Gegenwart hinein, welche in allen Zeiten dieselbe ist, alle Zeiten durchdauert, und unerschüttert stehen bleibt, während das, was daran Zeit ist, beständig zu- und abfliesst, u. s. w.

3) Pag. 213. — Urakte, welche vor Ewigkeiten geschehen sind und noch immer fortgeschehen, Ereignisse, welche geschahen zu einer Zeit, welche ist und war und seyn wird, und in denen die Geheimnisse der Erschaffung der Welt enthalten liegen. Was mit eingreift in diese Ereignisse, wird gerettet, das übrige geht verloren, u. s. w.

4) Pag. 247. — Du in deinen hehren Schmerzen und Ungewittern, umringt von tausend Todesnächten, u. s. w.

Argum.; de somniis principalibus in imaginatione coelesti[5]), ex §. 89. *Argum.*, 90. *Argum.*; nec non quod jam prius affirmavi: praesentiam nostram semper aliqua parte praeteriti infectam esse[6]), ex §. 84. *Schol.* 3; nec non: tempus esse ens, cujus principia et radices transscendant capacitatem humanae experientiae[7]), ex §. 65. 72. *Schol.*, 130.

CAP. V.

De affinitate theoriae nostrae cum doctrina Kantiana.

De tempore historico.

§. 138. Definitio temporis vivi: Tempus vivum est compositio trium principiorum metaphysicorum: existentiae, memoriae, praemeditationis. §. 60.

§. 139. Definitio temporis historici: Tempus historicum est commixtio et transfusio trium elementorum temporis vivi §. 11., igitur commixtio et transfusio existentiae, memoriae et praemeditationis.

§. 140. Hoc loco bene distinguendum est, quid existat in rerum natura et quid appareat nobis per notiones, quas de rerum natura formamus.

---

[5]) Pag. 240-41. — Urträume, welche brennen und funkeln in jenen unermesslichen leeren Räumen, wo kein Stern mehr ist, wo kein Schall mehr gehört, und kein Lichtschimmer mehr gesehen wird. Denn das Paradies ist die ursprüngliche Traumnacht, in welcher gleich stolzsegelnden Flotten dahinfahren die Ideen und Musterbilder alles dessen, was auf Erden schön genannt wird und gross, u. s. w.

[6]) Die Lücken des Hegel'schen Systems. Pag. 37. Indem es bei der Wahrnehmung der meisten Sinne einige Zwischenzeit erfordert, bis die Sinnorgane gegen die Eindrücke gehörig reagiren, und indem eben so viel Zeit erfordert wird, bis das Licht und der Schall den Eindruck des reellen Gegenstandes bis zu uns trägt, so kommt im Grunde nie ein Gegenstand der reinen Gegenwart in unser Bewusstseyn, sondern nur immer Thatsachen der nächsten eben verschwundenen Vergangenheit; mit anderen Worten: unsere Gegenwart ist immer durch einen Tropfen Vergangenheit (so wie unsere Wahrheit immer durch einen Tropfen Einbildung) verfälscht.

[7]) Ibid. Pag. 38.

§. 141. In rerum natura praeteritum non est, nisi in memoria, et futurum non est, nisi in exspectatione, et has utrasque animi facultates bene distinguimus nulloque modo commiscemus.

§. 142. In notione abstracta temporis autem ea, quae sunt in sola memoria, cogitantur denuo ut existentia, et quae sunt in sola exspectatione, cogitantur ut jam existentia, et existentia cogitantur ut non adhuc aut jam non existentia. Quae est arte facta notio, cum rerum et nostrae vitae statu mere empirico minime congruens. Haec arte facta notio est tempus historicum. §. 13.

§. 143. Ergo tempus vivum et tempus historicum sibi opposita sunt ut ens reale, scil. compositio trium principiorum realium, et ens imaginarium, scil. notio arte facta, quae oritur, dum cogito existentia ut non-existentia, atque non-existentia ut existentia.

§. 144. Per hanc mutationem existentium in non-existentia et vice versa praesentia apparet multiplicata in infinitum, quae igitur multiplicatio est in sola notione, neque ullo modo in re ipsa. §. 41. 32.

§. 145. Distinguimus igitur inter tempus ipsum, prout est in se ipso et cadit in nostram puram experientiam, et inter notionem temporis, prout formatur artificiali commutatione eorum, quae per immediatam experientiam concipiuntur.

§. 146. Tempus vivum est tempus ipsum, ens reale, complectens et rerum naturam et duas animi facultates.

§. 147. Tempus historicum neque est tempus ipsum, neque ens reale, sed sola notio temporis ab imaginatione nostra composita.

§. 148. Haec temporis historici seu confusi notio neque est *notio sensualis seu empirica*, neque est *notio mere abstracta seu universalis*, sed est *intuitio a priori*, ut recte intellexit Kant.

Tempus historicum esse intuitionem aprioricam, sic demonstratur:

I.

Tempus historicum est intuitio.

§. 149. Tria principia metaphysica, ex quibus consistit tempus reale, existentia, memoria et praemeditatio, non sunt res objectivae, quae existunt pluries, sed sunt potentiae et principia individua, quae existunt semel, ut mundus, Deus, coelum, et omnia nomina propria.

§. 150. Notio temporis historici non formatur per abstractionem, sed per commutationem intuitionum realium, dum commutatur intuitio existentiae in intuitionem memoriae aut exspectationis et vice versa.

§. 151. Est igitur tempus historicum intuitio ipsa entium realium, sed intuitio cum confusione partium, ergo intuitio, cui non respondit res realis. Est autem *intuitio* neque *notio abstracta.*

§. 152. Haec est prima pars Kantianae definitionis, tempus historicum seu temporis seriem esse *intuitionem*, neque *notionem abstractam.*

Quod nos hic derivare potuimus a priori e notione ipsius temporis realis et vivi, Kant in critica rationis purae a posteriori derivavit ex iis notis, quae inveniuntur in intuitione seriei temporis.

Kant's Kritik d. V. Transsc. Aesth. 2r Absch. §. 4. 1) 4) u. 5) (3te Aufl. S. 46 u. 47.) Cf. *Schellings* transscend. Ideal. S. 300. *Fries* Krit. d. V. 2te Aufl. 1r. Bd. S. 173. 2). S. 174. 3).

Schol. Ex his etiam sequitur, tempus esse posse non nisi unum, et omnia tempora esse hujus unius temporis abscissas partes, quam thesin Kant praecipue urget. Kr. der V. l. c. §. 4. 4) 5), nec non Locke of human understanding book 2, chap. 14. §. 5, quam etiam jam firme expressit Aristoteles Phys. IV. c. 10. T. 55 et c. 14. T. 132.

II.

Intuitio temporis historici est apriorica.

§. 153. Tria principia, ex quibus consistit tempus vivum, existentia, memoria et praemeditatio, consistunt ex duabus nostri ipsius animi facultatibus, in quas incidit tertia potentia externa.

§. 154. Tempus historicum tanquam productum ex horum trium confusione in animo, est quoad duas partes intuitio nostri ipsius animi per sensum internum, et quoad tertiam partem intuitio existentiae externae in universum, quae intuitio nunquam nos deserit, et eadem pertinacia immanet nostro intellectui, ac ideae innatae.

§. 155. Tempus historicum igitur ut intuitio partim innata, partim immutabilis quasi innata, non discitur aliunde seu a posteriori, sed est *intuitio apriorica*.

§. 156. Haec est secunda pars Kantianae definitionis, tempus historicum sive temporis seriem esse *intuitionem aprioricam*, neque aposterioricam.

Quod nos hic derivare potuimus a priori e notione ipsius temporis realis et vivi, Kant in critica rationis purae a posteriori derivavit ex iis notis, quae inveniuntur in intuitione seriei temporis.

Kants Kritik der v. V. Transsc. Aesth. 2r Absch. §. 4. 2) u. 3). (3te Aufl. S. 46 u. 47). Cf. *Fries* Kritik d. V. 2te Aufl. 1r Bd. S. 173. 1).

III.

Conclusio.

§. 157. Tempus historicum est intuitio a priori, instar universae geometriae et arithmeticae, i. e. notio, quae concipitur

1) tanquam intuitio individualis, neque abstractio universalis,

2) tanquam apriorica neque aposteriorica.

IV.

De erroribus quibusdam in definienda temporis notione.

§. 158. Tempus vivum seu tempus ipsum non est intuitio apriorica; tempus historicum est intuitio apriorica. §. 145.

§. 159. Tempus vivum seu tempus ipsum est ens reale, tempus historicum est ens imaginarium. §. 146. 147.

§. 160. In perceptione temporis ipsius tempus apparet ut existentia ipsa combinata cum memoria et praemeditatione. §. 138.

§. 161. In intuitione apriorica temporis historici tempus apparet ut series successionum instar puncti moti per lineam a latere praeterito in latus futurum. §. 33. 41.

§. 162. Si definis hanc seriem successionum omnibus ejus notis acute perpensis, incidis in Kantii definitionem temporis ut intuitionis a priori, quae definitio est justa quoad tempus historicum seu imaginarium, falsa autem quoad tempus ipsum.

§. 163. Si autem ne concipis quidem plenam notionem illius seriei successionum, omnibus ejus notis perpensis, sed si haeres in singulis notis et relationibus, quae inveniuntur in illa, incidis in innumeras mancas temporis definitiones, quarum praecipuas hic enumerabimus:

Tempus est:

Sphaerae motus.

Antiquorum philos. sententia secundum Arist. Phys. l. IV. c. 14. T. 133.

Motus universi. Sphaera universi ipsa.

Antiqu. philos. sentent. sec. Arist. Phys. l. IV. c. 10. T. 93.

Coelum totum atque mundus.

Antiqu. philos. sent. sec. Plotin. Ennead. III. l. VII. c. 1.

Substantia universi et corpus primarium.

Aenesidemus et Heraclitus sec. Sext. Emp. Pyrrh. Hyp. l. III. c. 17.

Visio diei et nocti similis. (Ἡμεροειδὲς καὶ νυκτοειδὲς φάντασμα.)

Epicurus et Democritus sec. Sext. Emp. adv. Math. l. IX. c. 3.

Accidens accidentium, consequens dies, et noctes, et horas, et passiones, et motus.

Epicurus sec. Sext. Emp. Pyrrh. Hyp. l. III. c. 17.

Rerum omnium accidens universale.

Okens Naturphilos. §. 63.

Extensio, cujus partes sibi succedunt.

Cochius über die Analogie unter Ausdehn. u. Dauer, in *Hissmanns* Magazin 4r Bd. S. 155.

Distensio. Distensio ipsius animi.

August. Conf. l. XI. c. 23 et 26.

Longitudo vitae in mutationibus procedens, continuitatem actionis habens.

Plotin. Ennead. III. l. VII. c. 11.

Perseveratio existentiae, Ipsa rerum existentia perseverans.

De tempore assertiones et quaest. §. 3. in *Sam. Werenfelsi* Dissertt. (Amstelod. 1716) p. 2. pg. 286.

Continuatio existentiae.

Jo. Clerici Ontolog. Cap. V. §. 1.

Pars aeternitatis cum alicujus annui, menstrui, diurni spatii certa significatione.

Cic. de invent. cap. 26.

Infinitae durationis pars mensurata.

Locke of human understanding, book II. chap. 15. §. 6. *First.*

Numerus motûs secundum prius et posterius.

Arist. Phys. l. IV. c. 11. T. 108.

Numerus alicujus continui.

Arist. de gener. et corrupt. l. II. c. 10. T. 61.

Successio infinita numerorum. Actus numerans.

Okens Naturphil. §. 61. 64.

Imago consistens ex numero momentorum continuorum.

Cochius über Ausd. und Dauer in *Hissmann's* Mag. 4ter Bd. S. 155.

Mensura motûs et quietis.

Arist. Phys. l. IV. c. 12. T. 118. *Strato* secundum Sext. Emp. Pyrrh. Hyp. l. III. c. 17. et adv. Math. l. IX. c. 3.

Mensura durationis communis.

Locke of human understanding, book II. chap. 14. §. 17.

Quantitas durationis.

De tempore assert. et quaest. §. 9. in *Sam. Werenfelsi* Dissertt. p. 2. pg. 289.

Ordo successionum.

Leibnitz Opp. ed. Dutens. Tom. II. p. 1. pg. 121. 315.

Ordo successionum in serie continua.

Wolfii Ontol. §. 572.

Successio mutationum, consistens ex modificationibus successivis.

Cochius über Ausd. und Dauer in *Hissmanns* Magaz. 4r Bd. S. 162. 166.

Ens compositum ex partibus successivis continuis, a rebus successivis distinctum, cui eaedem coëxistunt. Cf. §. 35.

Wolfii Ontol. §. 581.

Series mutationum imperceptibilium coëxistens seriei mutationum perceptibilium.

Platner's Aphorismen §. 968. *Cochius* l. c. pg. 161.

Fluxus continuus regularis.

D. Clarke's notions of Space examin'd (London 1733) p. 106.

Forma repetitionis.

Herbart's Hauptpunkte der Metaphysik. S. 64.

Repetitio aeterna positionis.

Oken's Naturphilos. §. 61.

Multiplicatio τοῦ Nunc, quod est ipsa Essentia (οὐσία) Cf. §. 32.

Aenesidemus secundum Sext. Emp. adv. Math. l. IX. c. 3.

Unitas negativa in alteratione. Cf. §. 41.

Hegels Encyclop. §. 258.

Forma τοῦ fieri et interire.

Wagners Organon §. 134.

Τὸ fieri, in intuitionem receptum.

Hegels Encyclop. §. 258.

Forma, qua opposita ponuntur et tolluntur.

Wagners Organon §. 133.

CAP. VI.

Respondetur ad quaestiones capitis I.

I. Cur sunt tres temporis partes, praeteritum, praesens et futurum, neque duae, neque quatuor?

Responsio. In tempore est relatio existentiae ad non-existentiam §. 30. Existentia apparet ut praesentia. Non-existentia apparere non potest. Simplex relatio existentiae ad non-existentiam est ea, ut aut existentia vertatur in non-existentiam aut non-existentia vertatur in existentiam. Oriun-

tur igitur membra intermedia duo: Existentia ad dimidium destructa est forma sine realitate, imago memoriae §. 92. Non-existentia ad dimidium mutata in existentiam est vis et nisus. Ibid. Sunt autem tres temporis partes existentia, memoria et nisus §. 60. 81.

II. Potestne tempus discindi in tres suas partes, nec ne?

Resp. Potest: in existentiam, memoriam et exspectationem §. 60.

III. Quid est praesens per se, nulla nec praeteriti nec futuri ratione habita?

Resp. 1) Existentia naturae §. 4. 2) Existentia entium-per-se §. 79.

IV. Quid est praeteritum per se, nulla nec praesentis nec futuri ratione habita?

Resp. 1) Memoria. §. 58. 2) Phantasia. §. 79. secundum proverbium: Quod *praeteriit*, *somnium* est (Vid. *Buxtorfi* Floril. Hebr. Bas. 1648. Pg. 359.)

V. Quid est futurum per se, nulla nec praesentis nec praeteriti ratione habita?

Resp. 1) Praemeditatio. §. 59. 2) Cupiditas §. 79.

VI. Cur tempus procedit a praeterito in futurum, neque e contrario?

Resp. est in §. 100. 101. 1).

VII. Cur praesens mutatur in praeteritum, et futurum in praesens, neque e contrario?

Resp. est in §. 100. 101. 2).

VIII. Estne illud, a quo procedunt tempora, praeteritum an futurum? et estne illud, in quod confluunt, futurum an praeteritum?

Resp. In tempore historico procedunt ex praeterito et confluunt in futurum. §. 23. In tempore vivo procedunt ex futuro et confluunt in praeteritum. §. 24. Sed in statu veritatis fieri non potest, ut existentia transmutetur in non-existentiam (praeteritum), quia ibi evanescit omnis non-existentia. Remanebit igitur id, quod per se existit tanquam

praesentia aeterna §. 50., ex qua necesse est omnia tempora dimissa esse, in quam necesse est omnia tempora iterum receptum iri §. 47.

IX. Cur praeteritum tempus crescit, praesens non crescit, sed variatur, futurum neque crescit neque variatur, sed plane incertum est, omni forma carens?

Resp. est in §. 94. 95. 109.

X. Cur praesens *est*, futurum *fit*, praeteritum *habet*, vel in se continet?

Resp. Quia mundus existentiae *est*, mundus virium nondum est, sed *fit* in suis effectibus, mundus imaginum recipit et continet in se omnia, quae aliquando fuerunt. §. 92.

XI. Cur praeteriti partes continuo augentur modo *additionis*, futuri partes continuo abscinduntur modo *subtractionis*, praesentia autem distenditur modo *reiterationis* (multiplicationis)?

Resp. Quia mundus imaginum acquirit, mundus virium perdit, mundus existentiae variatur, i. e. iteratur tanquam eadem in alia forma. §. 93.

XII. Cur futurum venit, praesens praeterit, praeteritum stat immobile?

Resp. Quia mundus virium provenit in existentiam. Dum venit in existentiam, huic novae existentiae cedit vetus existentia et praeterit in praeteritum, ubi conservatur cum aliis in memoria. §. 92.

XIII. Cur futurum dat, praesens sumit, praeteritum conservat?

Resp. Quia mundus virium dat actiones suas mundo existentiae, mundus existentiae sumit renovationem suam a mundo virium, et mundus memoriae conservat ea, quae sibi affluxerunt e mundo primo per mundum secundum. §. 92.

XIV. Cur praesens currit instar navis vel animalis, futurum parit instar matris existentium, praeteritum impletur instar stomachi edentis?

Resp. est in §. 102. 103. 104.

XV. Cur tempori libentius tribuitur corruptio, quam creatio et amplificatio?

Resp. Quia vivimus in tempore vivo, ubi praesentia semper corrumpitur in praeteritum et generatur non nisi per corruptionem alius praesentiae. §. 8. 42. Sed tempori per se magis convenit creatio, quam corruptio, quia est laboratorium ipsius creationis mundi §. 84. *Schol.* 3., §. 135.

XVI. Cur tempus videtur esse amnis?

Resp. Quia tempus historicum similis est lineae in motu, fluentis ab altero latere in alterum. §. 29. 33.

XVII. Cur tempus videtur esse circulus aut sphaera?

Resp. Quia in tempore historico apparent multae periodi revertentes, i. e. quarum finis excipitur ab initio. Linea, cujus finis excipitur ab initio est circulus; sphaera autem est circulus circum diametrum motus. §. 163.

XVIII. Cur praesentia videtur continuo simul corrumpi et nasci?

Resp. Quia praesentia et viva et historica non est existentia pura et simplex, sed existentia infecta a non-existentia. §. 76. Cf. Resp. ad Qu. I.

XIX. Cur praeterita sunt causae praesentium, et praesentia futurorum, neque e contrario?

Resp. Hoc est in tempore historico, neque in tempore vivo, ubi praesentia est causa praeteritorum §. 40, quia sicut vires sunt causae existentiae, ita existentia est causa memoriae. §. 92. Quia autem in tempore historico tres temporis partes jacent transfusae §. 11., series temporis historici, quae est fluens praesentia §. 41, simul in se continet legem memoriae, quae est conservatio earum formarum, quae in ea depositae sunt §. 97, secundum quam legem, quae praeterita erant, porro etiam praesentia erunt et futura sine mutatione, nisi evelluntur certo aliquo impetu, qui semper accidit in praesentia quadam, cujus effectus autem, simulae adest, iterum per legem inertiae conservatur per omnem temporis seriem usque ad novum impetum. Itaque lex inertiae inest praesentiae copulanti, sed impetus evellens inest praesentiae dis-

secanti, ex quarum identificatione gignitur praesentia facti, quae est causa futurorum. Cf. §. 41. *Schol.*

XX. Utrum datur in tempore semper una eademque praesentia, an praesentiae diversae innumerabiles?

Resp. In tempore vivo datur non nisi una eademque §. 42, in tempore historico autem diversae innumerabiles. §. 41.

XXI. Utrum datur in praesentia extensio aliqua, nec ne?

Resp. Praesentia historica est omni extensione minor §. 25., sed praesentia viva est omni extensione major §. 26, continens in se omnem temporum ambitum §. 48. et universam rerum naturae existentiam §. 106.

XXII. Cur omnia tempora sunt partes unius ejusdem temporis?

Resp. Quia tempus est ens compositum ex tribus principiis metaphysicis §. 87, quibus est existentia simplex, individualis.

XXIII. Cur plures temporis partes non possunt esse simul, sed altera non nisi post alteram?

Quia, si plures praesentiae essent simul, plura tempora essent simul, quod non fieri posse elucet ex Resp. ad Qu. XXII. Nihilominus tamen praeteritum, praesens et futurum, quae in tempore historico existunt non nisi alterum post alterum §. 37, in tempore vivo existunt simul §. 38, quo efficitur, ut praesentia altera semper sit eadem cum altera et diversa ab altera, sive ut praesentia altera sit simul praesens et non praesens. §. 17. *Schol.* Cf. §. 41. 45.

XXIV. Cur non possumus cogitationem abducere ab omni tempore?

Resp. Quia non possumus abducere cogitationem a praesentia viva, in qua omnis cogitatio existit. §. 60. lin. 6.

XXV. Cur tempus habet non nisi unam dimensionem instar lineae? Et cur in hac linea una sola est directio, qua tendit a praeterito in futurum?

Resp. Cur in hac linea una sola directio sit, scil. motus ex praeterito in futurum, demonstravimus in §. 101. 1) Qui motus idem nobis etiam porrigit imaginem lineae, quia om-

nem motum describimus in phantasia per trahendam lineam. Tempus vivum autem neque est linea, neque habet ullam dimensionem. §. 34.

XXVI. Estne tempus substantia, an accidens, an abstractio, an intuitio, an relatio, an mundus ipse, an aliqua potentia divina?

Resp. Distinguendum est inter tempus historicum, vivum et transscendentale. Tempus historicum est intuitio apriorica. §. 157. Tempus vivum est proportio existentiae naturalis ad duas animi facultates, memoriam et praemeditationem. §. 60. Tempus transscendentale est ens compositum ex tribus principiis summis metaphysicis. §. 87.

XXVII. An patiuntur aliquid a tempore, quae in eo sunt, nec ne?

Resp. A tempore historico, quod est ens imaginarium §. 159, nulla res potest aliquid pati. A tempore per se autem res non solum patiuntur aliquid, sed tempus-per-se est laboratorium ipsum generationis universae rerum naturae. §. 135.

XXVIII. Utrum tempus solummodo est in anima nostra, an fruitur etiam existentia objectiva?

Resp. Tempus historicum est non nisi in anima nostra. §. 147. Tempus per se fruitur existentia objectiva. §. 146.

XXIX. An datur differentia inter notionem temporis et tempus ipsum, nec ne?

Resp. Datur. Tempus historicum enim est sola temporis notio; tempus vivum est tempus ipsum. §. 147. 146.

XXX. Utrum finita est series temporum, an infinita?

Resp. Verisimile videtur, esse finitam. §. 47. Demonstrari hoc autem nequit.

XXXI. Utrum aeterna existentia est supra omne tempus, an in omni tempore?

Resp. Aeternitas viva est supra omne tempus §. 50., sed aeternitas historica in omni tempore. §. 49.

XXXII. Utrum aeternitas est infinita temporum series,

composita ex praeteritis et futuris sine origine et fine? an est praesentia simplex, carens praeterito et futuro?

Resp. Prima aeternitas est aeternitas historica §. 49, secunda est aeternitas viva §. 50.

XXXIII. An dantur semi-aeternitates, ut si componis praesentiam cum praeterito infinito, aut praesentiam cum futuro infinito?

Resp. Dantur. Nam tempus vivum est compositio praesentiae cum praeterito, futuro vacuo adjecto. §. 116. Et tempus tertium est compositio praesentiae cum futuro, praeterito vacuo adjecto. §. 121.

XXXIV. Quid est praeteritum cum futuro, si ejeceris praesentiam?

Resp. Est tempus historicum tanquam compositio praeteriti cum futuro in unam continuam seriem, praesente vacuo adjecto. §. 117.

XXXV. Cur memoriae ope perspicua sunt tempora praeterita, neque futura?

Resp. est in §. 80. lin. 5.

XXXVI. Cur vita nostra et existentia est in praesenti, neque in futuro, neque in praeterito?

Resp. Quia existentia idem est, ac praesentia. §. 57.

XXXVII. Cur in futuro nil apparet, nisi tempus vacuum?

Resp. Futurum est exspectatio §. 60. lin. 10. Quia in exspectatione sentitur absentia ejus rei, quam exspectamus, exspectatio nobis dat imaginem alicujus vacui.

XXXVIII. Cur in praesentia apparet spatium universi et rerum natura in eo contenta?

Resp. Quia praesentia est idem, quod existentia §. 57., rerum existentium universitatem autem appellamus naturam, quae in spatio continetur. §. 67. 96. 106.

XXXIX. Cur in praeterito apparet numeratio temporis chronologica et rerum historia?

Resp. Quia praeteritum vivum est memoria rerum gestarum, ex qua componitur rerum historia in chronologica numeratione. §. 68. 69. 112.

XL. Quaenam est temporis relatio ad existentiam?

Resp. Existentia est tertia pars temporis, scil. praesentia. §. 60.

XLI. Quaenam est temporis relatio ad numerum?

Resp. Numerus est forma temporis historici. §. 117.

XLII. Quaenam est relatio temporis ad spatium?

Resp. Spatium est forma temporis vivi. §. 116.

Enumeratio omnium notarum, quae notioni temporis insunt.

I.

Definitio temporis vivi. §. 138. 132.

Definitio temporis historici. §. 139. 132.

Definitio temporis tertii. §. 135. 132.

Temporis falsae definitiones. §. 163.

Tempus reale. §. 146. 143.

Tempus imaginarium. §. 147. 143.

Temporis notio universalis. §. 1. 3.

Temporis perceptio immediata. §. 2. 4.

Tempus factorum series. §. 5. 7. 29. 31. 33. 35. 49. 53.

Tempus existentiae transformatio. §. 6. 8. 30. 32. 34. 36. 48.

Temporis historici descriptio. §. 1. 3. 5. 7. 9. etc.

Temporis vivi descriptio. §. 2. 4. 6. 8. etc.

Temporis confusa imago. §. 11. 13. 15. 51.

Temporis distincta perceptio. §. 12. 14. 16. 52.

Temporis partes irrationales. §. 17.

Temporis partes rationales. §. 18.

Temporis historici existentia. §. 19. 21.

Temporis vivi existentia. §. 20. 22.

Temporis historici motus. §. 23.

Temporis vivi motus. §. 24.

Temporis historici mensura. §. 25. 27.

Temporis vivi mensura. §. 26. 28.

Temporis historici articulatio. §. 29. 31. 33. 35. 37. 39.

II.

III.

Praesentia nihil amplectens. §. 25.
Praesentia omnia amplectens. §. 26.
Praesentia mobilis. §. 23. 41. 45.
Praesentia immobilis. §. 42. 48. 50. 54.
Praesentia relativa. §. 9.
Praesentia absoluta. §. 10.
Praesentia = existentia. §. 10. 20. 30. 42. 48. 50. 56. 57.
Praeteritum = memoria. §. 38. 40. 46. 58.
Futurum = exspectatio. §. 38. 59. 60.
Praesens cum praeteritò ut spatii domicilium. §. 111. 48.
Praeteritum cum futuro ut numerorum series. §. 108. 112. 29.
Praesens cum praeterito ut tempus vivum. §. 116.
Praeteritum cum futuro ut tempus historicum. §. 117.
Praesens cum futuro ut tempus tertium. §. 121.
Existentia pura. §. 50. 54. 56.
Existentia mixta cum Non-exist. §. 30. 42. 55.
Spatium repletum substantiis. §. 106.
Spatium repletum imaginibus. §. 107.
Numerus repletus factis. §. 112.
Numerus repletus praemeditatione. §. 112.

IV.

Praeteritum.	Praesens.	Futurum.	
Memoria. §. 58.	Existentia. §. 57.	Praemeditatio. §. 59.	
Imagines phantasiae reproductivae.	Contuitus. Attentio. Experientia.	Exspectatio. Timor, spes. Nisus, voluntas.	§. 60.
Numeratio. §. 68.	Spatium. §. 67.	Merum tempus. §. 66.	
Historia.	Natura.	Merum tempus.	§. 69.
Temp. hist. §. 70.	Temp. vivum. §. 71.	Temp. transsc. §. 72.	
Imagines §. 75.	Entia-per se §. 76.	Desiderium. §. 77.	
Phantasia.	Existentia.	Cupiditas.	§. 79.
Imagines.	Realitates.	Impetus.	§. 81.
Formae.	Materiae.	Vires.	§. 82.
Phantasma. §. 84.	Entia-per-se. §. 86.	Persona.	§. 87.
Somnium.	Vigilia.	Mors.	§. 88.

Pulcritudo.	Veritas.	Virtus.	§. 90.
Phantasia.	Intellectus.	Voluntas.	§. 91.
Necessitas.	Fortuitus.	Possibilitas.	§. 97.
Series. §.108. 29.	Domicilium. §.111. 48.	Transmutatio.	§.127.
Visus.	Tactus.	Gustus.	§. 137.

V.

Praesentia historica. §. 9. 19. 41.
  Praesentia viva. §. 57.
  Praesentia per se. §. 77.
Praeteritum historicum. §. 112. 113.
  Praeteritum vivum. §. 58.
  Praeteritum per se. §. 75.
Futurum historicum. §. 112. 114.
  Futurum vivum. §. 59.
  Futurum per se. §. 77.
Praesentia vacua. §. 105.
  Futurum vacuum. §. 109.
  Praeteritum vacuum. §. 122.
Praesentia plena. §. 106.
  Praeteritum plenum. §. 112.
  Futurum plenum. §. 124.
Praeteritum semi-plenum. §. 107.
  Futurum semi-plenum. §. 112.
  Praesens semi-plenum. §. 123.

jsk

0

AUGUSTINI ATQUE CARTESII PLACITA DE MENTIS HUMANAE SUI COGNITIONE QUOMODO INTER SE CONGRUANT A SESEQUE DIFFERANT QUAERITUR.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

QUAM

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

RITE OBTINENDORUM CAUSA

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXX. MENSIS IULII ANNI MDCCCLX

PUBLICE DEFENDET SCRIPTOR

ERNESTUS MELZER

SILESIUS.

ADVERSARIORUM MUNERE FUNGENTUR:

PETRUS GROSS, DR. PHIL.
EDUARDUS MAUBACH, STUD. THEOL. ET PHIL.
MAURITIUS RITTER, STUD. PHIL.

BONNAE

FORMIS CARTHAUSIANIS.

„Wir wissen, dass die Kirchenväter sehr philosophisch gebildete Männer waren, und dass sie die Philosophie in die Kirche eingeführt haben. Alle Fragen über die Natur Gottes, über die Freiheit des Menschen, über sein Verhältniss zu Gott, den Ursprung des Bösen u. s. f. haben sie behandelt“.

Hegel, Vorlesungen über die Geschichte der Philosophie, III, S. 108.

„Voilà le Cartésianisme tout entier; voilà l'évidence intime considérée comme la base de la certitude. Sans vouloir dépouiller Descartes de sa gloire, nous aimons à constater pour l'honneur de la vérité et la grandeur du sujet qui nous occupe, que s. Augustin est le père de l'école philosophique de dix-septième siècle“.

Poujoulat, histoire de s. Augustin, I, p. 100.

VIRO DOCTISSIMO

PETRO ELVENICH

PHILOSOPHIAE DOCTORI EIUSDEMQUE IN ALMA VIADRINA
PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, BIBLIOTHECARIO REGIO,
EQUITI AQUILAE RUBRAE

HOC OPUSCULUM

PIA MENTE

OBTULIT

SCRIPTOR.

Praefatio.

Sanctus philosophus Hipponensis quam egregiam consumserit operam in eas quaestiones, quae inde ab antiquissimis temporibus ad nostram usque aetatem summorum virorum exercuerunt ingenia, quanto repletus fuerit ardore veri inveniendi, sui ipsius atque Dei cognoscendi, quantum praeterea versatus sit in iis perficiendis, quae a Platonicis tradita erant, quam denique impatienter desideraverit, non credere tantum, sed consensum fidei et intelligentiae apprehendere, quamquam satis constat, tamen non ex omni parte ita perspectum est, ut nihil dubium ambiguumque restet. Huc praecipue ratio referenda est, quam inter ipsum atque Cartesium intercedere vivo iam Cartesio notum erat. Hanc quidem rationem quum Cartesiani exponere vellent, eo usque nimii fuerunt, ut ea ipsa, quae Cartesii solius propria sunt, ab Augustino doceri contenderent. Quem errorem ii viderunt, qui hoc tempore historiam philosophiae tractant. Neque vero plus profecerunt. Xaverius enim Schmid, qui nuper de Cartesio scripsit [1], Cartesii atque Augustini nexum nec accurate nec plene explicavit. Quare Reichlin-Meldegg in annalibus Heidelbergensibus [2], ubi libri Schmidiani censuram agit, cognationem Augustini atque Cartesii nullam esse censet his verbis:

1) Xaver Schmid aus Schwarzenberg, R. Descartes und seine Reform der Philosophie, Nördlingen 1859, pag. 137—141.

2) Heidelberger Jahrbücher der Literatur, 1859, Heft 3, p. 743. — (Bouillier autem Francogallus, qui duo volumina de historia philosophiae Cartesianae anno 1854 Parisiis edidit, minus quam Schmid rationem mutuam inter Augustinum et Cartesium agnovit).

„Es müsste denn diese Verwandtschaft darin bestehen, dass Augustinus an aller Philosophie zweifelte, um auf ihre Zerstörung die Theologie zu bauen, oder die Philosophie nur dann zuliess, wenn sie als Baustück für die positive Theologie diente. Aber gewiss ist eine solche Verwandtschaft keine philosophische".

Quae quum ita sint, non inanem laborem suscipere mihi videor, quum rationem, quae inter Augustinum atque Cartesium intercedit, denuo perquiro. Verissimum quoque esse scio, quod Erdmannus dicit in ephemeridibus philosophicis a Fichte, Ulrici et Wirth editis[1]): *„Doch aber muss es ein Missverhältniss genannt werden, dass wir über die Bedeutung und die Standpunkte der alten Philosophie so im Reinen sind, wie wir es sind, und hinsichtlich der mittelalterlichen Philosophie noch immer der Streit geführt werden kann, ob dieselbe überhaupt und welche Bedeutung und noch fortdauernde Wirkung sie gehabt habe. Eine Theilung der Arbeit ist hier nothwendig".*

Sed ne quaestio fines, quibus hoc opusculum circumscribitur, excedat, ea tantum proponam atque inter se conferam, quae uterque de mentis humanae sui cognitione senserit. Atque ita quidem hanc comparationem instituemus, ut ea praemittamus, quae Cartesius eiusque sectatores de cognatione, quam tractaturi sumus, statuerint; deinde ad rem propositam accedemus atque explicabimus, quid Augustinus quidque Cartesius de dubitatione, quid de ortu ac qualitate cogitationis sui ipsius, quid de eius aliarumque cogitationum ontologicarum connexu, quid denique de regula veritatis docuerint, quae omnia apud utrumque arcte cohaerent cum mentis cognitione sui. Ex libello nostro luculenter, ut spero, apparebit, quam vera sit Henrici Ritteri[2]) de Augustino sententia: *„Die augustinische Lehre hat ihren Einfluss durch alle Jahrhun-*

1) Philosophische Zeitschrift von Fichte, Ulrici und Wirth 1860, 2 Heft. p. 253.

2) Heinrich Ritter, die christliche Philosophie, nach ihrem Begriff etc., 1858, I, p. 446 et 447.

derte der kommenden Zeit erstreckt, weil selbst die Schwankungen und der Irrthum in ihr noch gegenwärtig unsere Meinungen bewegen und Grundlagen unserer philosophischen Forschung abgeben. Die Probleme, welche sie vorlegt, sind durch die neuen Wendungen unserer philosophischen Systeme nicht überwunden, ja in ihrer Fassung kaum um ein Merkliches geändert worden. Augustin steht als Lehrer an dem Wendepunkt zweier Zeiten, der alten und der neuen; diese seine Stellung giebt ihm den grossartigen Einfluss, mit welchem kein anderer in der Geschichte unserer bisherigen wissenschaftlichen Bildung verglichen werden kann. Davon zeugt die vorherrschend subjective psychologische Richtung, welche er zuerst durchgreifend der philosophischen Forschung gab, indem er in das geistige Leben den Standpunkt des wissenschaftlichen Nachdenkens verlegte, im Selbstbewusstsein die sichere Grundlage der Untersuchung, in seinen Erscheinungen das erste Gewisse, in seinem Verlangen nach Wahrheit das letzte Ziel der Forschung nachwies".

Introductio. Breviter exponitur, quid Cartesius eiusque sectatores de Cartesii et Augustini cognatione senserint.

Similitudine quadam Augustinum atque Cartesium coniunctos esse Cartesius ipse non primus animadvertit, sed eius amici, Arnauld, Mersennus, alii. Philosophus noster, quum de hac re certior factus esset, nihil aliud fecit, quam ut eos solos locos examinaret, quos amici cum eo communicassent. In epp. II, 118 scribit: „Habeo tibi gratiam pro loco d. Augustini, quicum principium hoc meum: cogito, ergo sum, aliquo modo consentit. Revera video, eum illo uti ad probandam existentiae nostrae certitudinem et deinde ad ostendendum, esse in nobis aliquam trinitatis imaginem, quatenus sumus, scimus

nos esse atque illud esse et hanc, quae in nobis est, scientiam amamus; ego vero illud adhibeo ad probandum, me cogitantem esse immutabilem et incorpoream substantiam, quae duo diversa valde sunt. Estque haec consequentia tam simplex et naturalis, ut cuilibet obvia esse potuisset; sed tamen gaudeo, me idem cum d. Augustino cogitasse, ut sciolorum os obturetur, qui principium hoc vellicare conati sunt". Si Cartesius alios Augustini locos et libros accurate legisset [1]), intellexisset sane, Augustinum nonulla dixisse, quae desumta ex illo principio eodem tenderent atque Cartesii demonstrationes de animo incorporeo immutabilique. Quinimo hoc non poterat non perspicere ex illo ipso loco, de quo in epistola 118 dicit, qui est in opere de civitate Dei 11, 26. Ibi Augustinus contendit, haec tria: esse et notitiam huius existentiae et amorem utriusque nullo corporis sensu tangi, sed sine ulla phantasiarum vel phantasmatum imaginatione certa esse. Et capite 28 eiusdem libri addit, tria ista a nobis ipsis praesentia sentiri atque veracissimo cerni adspectu. Quod vero Cartesio videtur de simplicitate sui principii, et Augustino obtrectat et ei ipsi. Facile quis intelligat, se esse cogitantem; verum qualis huius sententiae sit natura et vis, hoc nisi philosophus non poterit explicare. Non ignoramus, fuisse iam ante ipsum Augustinum (cf. Athanas. ctr. gentes 30, Gregor. Nyssen. de eo, quid sit ad imaginem Dei p. 26—31, Clem. Alex. paedagog. III, p. 250.) et post Augustinum ante Cartesium [2]) (velut omnes fere doctores scholastici, Thomas Aquinas, An-

1) Cf. in ipsis Cartesii epp. II, 3, cuius scriptor: „Quae" inquit, „de mentis a corpore distinctione disseruisti, certe clara, perspicua, divina mihi videntur atque ut veritate nihil antiquius, eadem fere a s. Augustino toto paene libro 10 de trinitate, sed maxime cap. 10 luculenter esse disputata non sine magna voluptate percepi".

2) Cf. Ritter l. c. p. 403: „*Der Gedanke dieses Mannes* (sc. Cartesii), *den letzten Grund unserer wissenschaftlichen Erkenntniss auf den Grundsatz: ich denke, also bin ich, zurückzuführen, ist schon von Augustinus ausgesprochen worden und hat bei dem weitgreifenden Einfluss dieses Kirchenvaters auf alle folgenden Zeiten auch nicht in Vergessenheit gerathen können*".

selmus, Bonaventura, Victorini aliique), qui vim cogitationis sui ipsius in philosophia exstruenda aliquo modo viderent. At praecursores Augustinus longe superavit, successores eius in medio aevo hac ex parte nihil fere addiderunt. — Alius locus, quo Cartesius suam cum Augustini sententia comparat, hic est in epp. II, 115: „Sum tibi devinctissimus, quod me docueris Augustini locos, qui ad opiniones meas auctoritate fulciendas inservire possint; nonnulli ex amicis meis idem antea fecerant, et sane valde gaudeo, quod cogitationes meae cum tam sancti tamque eximii viri cogitationibus conveniant. Sum enim ab illorum ingenio alienus, qui opiniones suas novas videri volunt; e contra meas alienis accommodo, quantum patitur veritas".

Hinc cernitur, quam falsa sit adversariorum quorundam Cartesii sententia, qui veluti Huetius fictam illi quoad Augustinum ignorantiam tribuebant. Nec Leibnitii sententia tenenda est, qui inde, quod Cartesius diligentissime historiae philosophiae operam dederit, concludit, Augustinum illi plane notum fuisse. Sane Cartesius adhuc adolescens quum ad aliarum artium, tum ad philosophiae studia animum applicuit; at vero non tanta eius doctrina fuit, quantam fuisse multi existimabant. Quod apparet ex partis secundae ep. 60 ad Mersennum data, ubi ingenue haec confitetur: „Inquisivi in errores Pelagii, ut scirem, quo fundamento illi niti potuerint, qui dicunt, me esse in eius sententia, quam hactenus ignoraveram". Quandam haud dubie principii Augustiniani notitiam Cartesius ex lectione Campanellae hausit. Etenim is de scienta sui ipsius quid Augustinus docuerit memorat.

Uti magister minus fortasse quam par erat, Augustino tribuebat, quum proprio Marte quam aliunde adiutus philosophari mallet, ita discipuli contra faciebant. La Forge totam doctrinam de mente et corpore Cartesianam plane eandem atque Augustini esse censet[1]). Maxime vero in ordine Oratorii

1) Cf. Guentheri Viennensis opus, cui nomen: „*Vorschule zur speculativen Theologie*", edit. 2 vol. I, pag. 273 et quae sequuntur.

exstiterunt, qui Cartesium cum Augustino compararent. Inter quos numerandus est Nicolaus Malebranche, qui doctrinam Augustini de cognitione rerum in Deo in suum usum convertit atque omnino Augustini placitis abusus potius quam usus est ad suam ipsius philosophiam stabiliendam. Ex Iesuitis memorandus est André Martin, qui septem volumina scripsit de philosophia Augustini eaque inscripsit: „philosophia Christiana Ambrosio Victore theologo collectore sive s. Augustinus de philosophia universim, Paris. 1671". Is. nobis offert Augustinum, ut Bouillier l. s. s. tom. 2, p. 11 ait, „un peu arrangé et aiusté d'aprés Descartes". Quod praecipue cadit in doctrinam de natura corporis. Namque Martin theorema Cartesii de bestiis automatis invenisse apud Augustinum sibi videbatur Malebranche in libro, cui nomen: „éclaircissement sur le sixième livre de la recherche de la vérité" Martinum de hac re defendit. Dicit melius esse ex Augustino demonstrare, bestiarum nullas esse animas quam contrarium asserere, quia doctrina illa sequeretur ex principiis Augustini. Idem Martin sententiam de ideis Augustinianam tuebatur. Qua in re iam tum perspexerunt Iesuitae, Augustinum multa ex Platonicis hausisse, eamque ob causam qui societati huic praeerant, Martinum hancce thesin subscribere iusserunt: „véritablement on est obligé d'avouer qu'il a inséré (sc. Augustinus) dans ses ouvrages un peu trop de platonisme qu'il avait étudié avant sa conversion".

In Italia quoque Fardella philosophus Cartesianus ex Augustini sententiis suam exponere philosophiam studuit libro: „animae humanae natura ab Augustino detecta etc., Venetiis 1698 in fol". De quo conferas Leibnitii literas ad Nicaise datas (Cousin, frgm. philos., tom. 3, p. 137): „Un savant abbé italien, professeur de mathematiques à Padoue, qui donne fort dans ma nouvelle hypothèse, donnera un ouvrage sur s. Augustin de quantitate animae qu'il dédie au cardinal Norris".

Eodem saeculo Nebridius quidam a Muendelheim, qui non erat sectator Cartesianae philosophiae, egregrium de

Augustino philosopho librum edidit Viennae 1654. Nostro saeculo praeter alios Guentherus Viennensis rationem habuit coniunctionis, quae inter Augustinum Cartesiumque intercedit. Qui quidem philosophus quum de Cartesio quaestionem institueret eiusque philosophiam nova via corrigere et perficere vellet, probe animadvertit, Augustinum multa cogitasse haud contemnenda philosophis et cum placitis Cartesianis ex parte consona. Quare Augustinum summis saepe effert laudibus. Praeterea inter recentiores Augustini existimatores eminet Theodorus Gangauf, qui anno 1852 duo volumina edidit de metaphysica Augustini psychologia. Dolendum est, hoc opus non ad finem esse perductum.

Cap. I. Augustini atque Cartesii placita de dubitatione.

Augustinus per aliquod tempus (confess. 6, 11.) σκέψιν Academicam sequebatur. Qua relicta postquam Platonicae philosophiae operam navavit ad Christianamque religionem conversus est, dubitationem vincere studuit proptereaque singulare opus contra Academicos scripsit. Non necessarium videtur, enumerare omnia, quae ad refellendos scepticos Augustinus protulit. Ea tantum enarranda sunt, ex quibus perspiciatur, quid dubitationi in philosophia tribuerit et qua ratione eam everterit. Qualem igitur vim dubitationis esse voluerit, efficitur ex sententia, quam de natura dubitationis Academicae proposuit. Contendit, Academicis dubitationem non fuisse finem philosophandi. In ep. 1 ad Hermogenem: „Academicos", inquit, „ego ne inter iocandum quidem unquam lacessere auderem; quando enim me tantorum virorum non moveret auctoritas, nisi eos putarem longe in alia, quam vulgo creditum est, fuisse sententia? Quare potius eos imitatus sum, quantum valui quam expugnavi, quod omnino non valeo". Cum hoc loco conferendus est liber contra Academicos 2, 9: „Nisi prius tam mihi persuasero, verum posse inveniri, quam illi

sibi persuaserunt non posse, non audebo quaerere nec habeo aliquid, quod defendam". De vera religione 73: „regulam ipsam, quam vides, concipe hoc modo: omnis, qui se dubitantem intelligit, verum intelligit, et de hac re, quam intelligit, certus est. Omnis igitur, qui utrum sit veritas, dubitat, in se ipso habet verum, unde non dubitet, nec ullum verum nisi veritate verum est. Non itaque oportet, eum de veritate dubitare, qui potuit undecunque dubitare".

Obiectiones Academicorum in certitudinem cognitionis sensuum ita removere studuit, ut demonstraret, non esse talem illius cognitionis naturam, ut de ea liceat dubitare. Cf. contra Academicos 3, 11 et de vera religione 33, 62, ubi dicit, non corporibus nos neque sensibus corporis, verum mentis iudicio falli. Mundum intelligibilem multo certiorem materiali esse affirmat de immort. animae 10: „Nihil absurdius dici potest quam ea esse, quae oculis videmus, ea vero non esse, quae intelligentia cernimus, quum dubitare dementis sit, intelligentiam incomparabiliter oculis anteferri".

Ex omnibus, quae Augustinus contra Academicos affert, argumentis, unum validissimum et inconcussum ponit in cogitatione sui ipsius. Cf. de civitate Dei 11, 26: „sine ulla phantasiarum vel phantasmatum imaginatione ludificatoria mihi esse me certissimum est. Nulla in his veris Academicorum argumenta formido dicentium: quid si falleris? Si enim fallor, sum. Quia ergo sum, si fallor, quomodo esse me fallor, quando certum est, me esse, si fallor"? Soliloq. 2, 1: R. Tu, qui vis te nosse, scis, te esse? A. Scio. R. Unde scis? A. Nescio. R. Cogitare te scis? A. Scio. R. Ergo verum est, cogitare te? A. Verum".

Iam quid Cartesius de dubitatione censuerit, videamus. Is igitur dubitationem tanti fecit, ut ex officio sibi dubitandum putaret. Princip. phil. 1, 1: „semel", inquit, „in vita de iis omnibus studeamus dubitare, in quibus vel minimam incertitudinis suspicionem reperiemus". De methodo c. 3: „Nec tamen in eo scepticos imitabar, qui dubitant tantum, ut dubi-

tent, et praeter incertitudinem ipsam nihil quaerunt. Nam contra totus in eo eram, ut aliquid certi reperirem“.

Uti ab Augustino eo differt, quod censet officii esse dubitare, ita nec sensuum testimonium a dubitatione excludi posse contendit in responsionibus ad obiectiones quintas: „Quod enim dixi, omnia sensuum testimonia pro incertis, imo etiam pro falsis habenda, omnino serium est et ad meas meditationes intelligendas adeo necessarium, ut quisquis illud admittere non vult aut non potest, nihil in ipsas responsione dignum obiiciendi sit capax“. — Omnem dubitationem pariter atque Augustinus certitudine cogitationis sui ipsius tolli existimat. Cf. princip. phil. 1, 7: „repugnat, ut putemus, id, quod cogitat, eo ipso tempore, quo cogitat, non existere. Ac proinde haec cognitio: ego cogito, ergo sum, est omnium prima et certissima, quae cuilibet ordine philosophanti occurrat [1])“.

Cap. II. Augustini et Cartesii placita de ortu cogitationis sui ipsius ejusque qualitate.

In soliloq. 1, 6 Augustinus verba facit de modo cognoscendi. „Ipsa visio intellectus est ille, qui in anima est, qui

1) De obiectis fidei Christianae iisque, quae ad usum vitae quotidianae pertinerent, non dubitavit Cartesius.

Hoc certe concedendum erit, si ponamus, Cartesium de omnibus omnino voluisse dubitare, dubitationem illam mere methodicam esse. Cf. princip. phil. 1, 27: „reiicientes illa omnia, de quibus aliquo modo possumus dubitare, ac falsa esse fingentes, facile quidem supponimus, nullum esse Deum“ et quae sequuntur. De iure, vi, fine ac terminis dubitandi in synopsi meditationis primae ita agitur, ut nihil a dubitatione excipiatur. „In prima causae exponuntur, propter quas de rebus omnibus, praesertim materialibus, possumus dubitare“. Frangi hanc are dubitationem certitudine sui ipsius elucet e synopsi meditationis secundae. Attamen secundum regulas ad direct. ingenii de obiectis fidei non dubitandum est, „quum illorum fides non ingenii actio sit, sed voluntatis, et si quae in intellectu habeat fundamenta, illa omnia maxime per alterutram ex viis iam dictis (sc. per intuitionem aut deductionem) inveniri possint aut debeant“. Praeterea ad C. L. R. ep. 144 declarat: „praeiudicia tantum negavi, non notiones, quae absque ulla affirmatione aut negatione cognoscuntur“.

conficitur ex intelligente et eo, quod intelligitur, ut in oculis videre quod dicitur, ex ipso sensu constat atque sensibili, quorum detracto quolibet videri nihil potest". Eadem sententia est in libro de trinitate 9, 12, 18, ubi adhibetur ad explicandam cogitationem sui ipsius. „Omnis res, quamcunque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui. Ab utroque enim notitia paritur, a cognoscente et cognito. Itaque mens quum se ipsam cognoscit, sola parens est notitiae suae; et cognitum enim et cognitor ipsa est. Erat autem sibi ipsa noscibilis, et antequam se nosset; sed notitia sui non erat in ea, quum se ipsa non noverat. Nam si non esset noscibilis, nunquam se nosse potuisset". Hinc secundum Augustinum mens in cognitione sui ipsa est subiectum et obiectum, atque priusquam hoc sit, potentia tantum se novit, non actu. At haec res perdifficilis Augustino ipsi non satis plana et aperta fuit.

Primum de immort. animae 10 ut mens se ipsum cognoscat, requirit aversionem a sensibus, atque de trin. 10, 8: „quis", inquit, „bene se inspiciens non expertus est, tanto se aliquid intellexisse sincerius, quanto removere atque subducere intentionem mentis a corporis sensibus potuit? Cognoscat ergo semet ipsam nec quasi absentem se quaerat, sed intentionem voluntatis, qua per alia vagabatur, statuat in semet ipsam et se cogitet".

Deinde aversa a rebus externis mens (cf. ibid. 9, 3, 3) „semet ipsam per se ipsam novit." Instrumentum quasi huius cognitionis est praesentia, qua mens sibi ipsi praesens est. Ibid. 10, 9 dicitur: „quum dicitur menti: cognosce te ipsam, eo ictu, quo intelligit, quod dictum est: te ipsam, cognoscit se ipsam, nec ob aliud quam eo, quod sibi praesens est".

Satis apparet, Augustinum non cogitare, mentem sibi eo modo innotescere, ut immediate suam videat essentiam. Non enim se novit nisi aversa a sensibus adspicitque phaenomena, non essentiam. Cf. de trin. 14, 6, 8: „Tanta est cogitationis vis, ut nec ipsa mens quodammodo se in conspectu suo ponat, nisi quando se cogitat; ac per hoc ita nihil in

conspectu mentis est, nisi unde cogitatur, ut nec ipsa mens, qua cogitatur, quidquid cogitatur, aliter possit esse in conspectu suo nisi se ipsam cogitando. Mens se in conspectu suo cogitatione sui constituit". Si Augustinus de civ. Dei 11, 26 dicit: „mihi esse me certissimum est", et: „sicut novi, me esse, ita novi et hoc ipsum, nosse me"; si praeterea ibid. cap. 28 affirmat: „nos tria haec (i. e. esse, nosse, amare) certa tenere nec aliis ea credere testibus, sed nos ipsos praesentia sentire atque interiore veracissimo cernere adspectu": hoc non ita intelligendum est, quasi ipsam essentiam a nobis contenderet adspici, quum hic potius sit sensus, ut cogitationem sui ipsius videamus et hac cogitatione essentiam cogitemus. Eadem ratione Thomas Aquinas Augustini sententiam intellexit in summa ad gentiles 3, 46: „patet autem, quod nec ipse Augustinus hoc voluit; dicit enim, quod anima quum sui notitiam quaerit, non velut absentem se quaerit cernere, sed praesentem se curat discernere, non ut cognoscat se, quasi non norit, sed ut dignoscat ab eo, quod alterum novit".

Ex quibus omnibus nulli non erit perspicuum, quaestionem hanc minime omnibus numeris esse absolutam. Namque ut mens a sensibus se avertat, necesse est sit conscia sui. Itaque exoritur quaestio, utrum mens ex Augustini sententia externo impulsu excitetur ex potentiali vita in actualem, an semper agat inde ab eo ipso, quo natus est, tempore.

Augustinus de civ. D. 22, 24: „ratio", inquit, „et intelligentia in infante sopita est quodammodo, quasi nulla sit, excitanda scilicet atque exserenda aetatis accessu, qua sit scientiae capax atque doctrinae et habilis perceptioni veritatis et amoris boni, qua capacitate hauriat scientiam. Ipsa talium bonorum capacitas in natura rationali divinitus instituta quantum sit boni, quis competenter effatur aut cogitat"? Nihilominus anima secundum Augustinum iam in utero vivit actu. Soliloq. 2, 20, 36: „qualis est illa aeterna vita, vel quae mors non ei praeponenda est, si sic vivit anima, ut videmus eam vivere in puero mox nato? Ut de illa vita nihil dicam, quae

in utero agitur; non enim puto, esse nullam." Quae est haec vita? Certe divinitus est instituta. Augustinus distinguit nosse se a se cogitando, quamquam non semper, velut de trin. 10, 10, 15, ubi nosse ac cogitare idem plane significat. De trin. 10, 5, 7 dicitur: „quum aliud sit, non se nosse; aliud, non se cogitare", atque de mente infantis ibid. 14, 5, 7: „an et ipsa se nosse credenda est, sed intenta nimis in eas res, quas per corporis sensus tanto maiore, quanto noviore coepit delectatione sentire, non ignorare se potest, se cogitare non potest? Ita et in alios corporis sensus intentione se quasi coartant animae parvulorum, ut, quidquid per carnem offendit aut allicit, hoc solum abhorreant aut appetant, sua vero interiora non cogitent nec possint admoneri, ut hoc faciant, quia nondum admonentis signa noverunt, ubi praecipuum locum verba obtinent, quae sicut alia prorsus nesciunt".

Ob hoc ipsum, quod infantes „sua interiora" non cogitant, dici potest eorum ratio „quodammodo sopita". Ceterum se noverunt semper ac nunquam desistunt se intelligere, ex quo esse coeperunt.

Ad hoc factum dilucidandum ex Augustino praeter divinam institutionem nihil haurire possumus. Qualis sit vita animi in utero matris; utrum divinitus instituta sit in actu creandi an post eundem; quae relatio sit nostra ad obiectum menti lumen intelligibile quoad modum illuminationis (de civ. D. 12, 2.) quave participatione luminis superni lumen humanum luceat: haec interroganti Augustinus non sat distincte respondet. Dicit, mentem luce incorporea quodammodo irradiari (de civ. D. 11, 27), incommutabilem veritatem omnibus incommutabilia vera cernentibus tanquam miris modis secretum et publicum lumen praesto esse ac se praebere communiter (ibid. 11, 9); affirmat, hanc veritatem oculo animae cerni supra eundem oculum, h. e. superiorem (confess. 7, 10); contendit, nos cum intelligibilibus rebus esse connexos (retract. 1, 18).

Etiam postquam homo ex statu mentis sopito excitatus

est ad perfectam sui scientiam, fieri solet, ut se non cogitet. De trin. 14, 6, 8: „quomodo autem, quando se non cogitat, in conspectu suo non sit, quum sine se ipsa nunquam esse possit, quasi aliud sit ipsa, aliud conspectus eius, invenire non possum.“ Invenit tamen eodem loco haec: „restat, ut aliquid pertinens ad eius naturam sit conspectus eius et in eam, quando se cogitat, non quasi per loci spatium, sed incorporea conversione revocetur; quum vero non se cogitat, non sit quidem in conspectu suo nec de illa suus formetur obtutus, sed tamen noverit se, tanquam ipsa sit sibi memoria sui?“

Num haec explicatio sufficit? Minime. Nam non describitur, quanam mediatione vel quibus auxiliis homo ex conditione sopita expergefiat, nec explicatur valido argumento, cur ille, ad cuius naturam sui conspectus pertineat, infans recens natus se non cogitet. De trin. 14, 6, 9 ait: „quoniam mentem semper sui meminisse semperque se ipsam intelligere et amare, quamvis non semper se cogitare discretam ab iis, quae non sunt, quod ipsa est, diximus; quaerendum est, quonam modo ad cogitationem pertineat intellectus, notitia vero cuiusque rei, quae inest menti, etiam quando non de ipsa cogitatur, ad solam dicatur memoriam pertinere“. Ibid. 14, 7, 9: „admonemur, esse nobis in abdito mentis quarundam rerum quasdam notitias et tunc quodammodo procedere [1]) in medium atque in conspectu mentis velut apertius constitui, quando cogitantur; tunc enim se ipsa mens et meminisse et intelligere et amare invenit, etiam unde non cogitabat, quando aliud cogitabat. Sed unde diu non cogitaverimus et unde cogitare nisi admoniti non valemus, id nos nescio quo eodemque miro modo, si potest dici, scire nescimus“. Ibid. 14, 6, 8: „mens quando cogitatione se conspicit, intelligit se et recognoscit, gignit ergo intellectum et cognitionem suam. Res quippe incorporea intellecta conspicitur et intelligendo cognoscitur. Nec ita sane gignit istam notitiam suam mens, quando cogi-

1) Hoc loco plana fit significatio verbi processus, quo interdum utemur.

tando intellectam se conspicit, tanquam sibi ante incognita fuerit, sed ita sibi nota erat, quemadmodum notae sunt res, quae memoria continentur, etiam si non cogitantur" [1]).

Augustinum scimus eo inclinare, ut eodem modo infantes se nosse putet. Quod ni ita esset, non sufficienter pateret, cur ex animi facultatibus primam ponat memoriam. Huc pertinet locus hic libri de immort. animae 4: „manifestum est, immortalem esse animum humanum et omnes veras rationes in secretis eius esse, quamvis eas sive ignoratione sive oblivione aut non habere aut amisisse videatur". Cur vero infantes non a se ipsis admoniti, quam memoriter tenent notitiam sui, in conspectum procedentem faciunt? Cur nondum verba norunt? Cur nimis intenti sunt in sensibilia? Sit ergo necesse est discrimen inter memoriam infantis et adulti hominis. Sed qualis? Frustra ex Augustino quaesiveris. De modo procedendi unum addit hoc, cogitationem sui ipsius esse ante omne qualecunque verbum. De trin. 15, 11, 20: „perveniendum est ad illud verbum hominis, ad verbum rationalis animantis, ad verbum non de Deo natae, sed de Deo factae imaginis Dei, quod neque prolativum est in sono neque cogitativum in similitudine soni, sed quod omnia, quibus significatur, signa praecedit et gignitur de scientia, quae manet in animo, quando eadem scientia intus dicitur, sicuti est". Ibid. 9, 11, 16: „quum se mens ipsa novit atque approbat, sic est eadem notitia ver-

1) Haec omnia quomodo cum Platonismo cohaereant, apparet ex loco de vera rel 3: „si Plato ipse viveret et — vel potius si quis eius discipulus eo ipso tempore, quo vivebat, eum interrogaret, quum sibi ab illo persuaderetur, non corporeis oculis, sed pura mente veritatem videri" etc. Ceterum Augustinus Platonem praecipue ex Neoplatonicis cognovit. Platonem et Platonicos, maxime Neoplatonicos in scriptis suis saepe laudat tanquam proximos fidei Christianae ex omnibus philosophorum gentilium sectis. Platonicos et Aristotelicos re ipsa non seiungit, quum dicat: Platonici seu Aristotelici vel Platonici s. Peripatetici. (De civ. D. 9. 4). Ex Neoplatonicis plura nec exigua hausit, quamquam non parum proprio labore correcta. Augustini de scientia sui doctrinae occasionem videtur dedisse doctrina de eadem re Neoplatonica, ac λόγοι σπερματικοὶ Plotini nihil aliud sunt quam rationes seminales Augustini.

bum eius, ut ei sit par omnino et aequale atque identidem, quia neque inferioris essentiae notitia est neque superioris. Et quum habeat notitia similitudinem ad eam rem, quam novit, hoc est, cuius notitia est, haec habet perfectam et aequalem, qua mens ipsa, quae novit, est nota. Itaque imago et verbum est, quia de illa exprimitur, quum cognoscendo eidem coaequatur et est gignenti aequale, quod genitum est.“ Haec cogitatio, hoc verbum semper scitur a nobis, quamquam non semper cogitatur. Quapropter de trin. 15, 15, 25 appellatur possibile vel formabile.

Quomodo vero haec sui ipsius cogitatio se habet ad ipsam mentis substantiam? Difficile est Augustino, secernere istam cogitationem ab anima, „quasi aliud sit ipsa, aliud conspectus eius“. Bene de hac re loquitur Carolus Werner in operis de Thoma Aquinate vol. I, quod edidit Ratisbonnae 1858, p. 834 et 835: *„Ebenso verfehlt ist, wenn ein einseitiger Realismus mit Berufung auf Augustin uns die substantielle Identität der Seelenvermögen mit dem Wesen der Seele darthun will. Augustinus sagt allerdings, dass Erinnerungskraft, Verstand und Wille Ein Leben, Ein Geist und Eine Wirksamkeit seien; aber man hat sich noch zu fragen, in welchem Sinne er die drei ein Ganzes ausmachen lässt“.* Thomas Aquinas in summa theol. 1, qu. 77, art 1, locum affert, qui est apud Augustinum de trin. 9, 4, quo dicitur: „simul etiam admonemur, haec in anima existere et tanquam involuta evolvi, ut sentiantur et dinumerentur substantialiter, non tanquam in subiecto, ut color aut figura in corpore. Quidquid enim tale est, non excedit subiectum, in quo est. Non enim color iste aut figura huius corporis potest esse alterius corporis. Mens autem amore, quo se amat, potest amare et aliud praeter se. Item non se solam cognoscit mens, sed et alia multa. Quamobrem non amor et cognitio tanquam in subiecto insunt menti, sed substantialiter etiam ista sunt, sicut ipsa mens, quia etsi relative dicuntur ad invicem, in sua tamen sunt singula quaeque substantia“. (Cf. de trin. 10, 10, 16: „quum se mens no-

vit, substantiam suam novit, et quum de se certa est, de substantia sua certa est“). Aquinas affirmat, in anima amata non esse amorem sicut in subiecto, „quia sequeretur, quod accidens transscenderet suum subiectum, quum etiam alia sint amata per animam“. Eodem loco Augustinus mentem et eiusdem sui notitiam secernit ab invicem. Idem facit de trin. 15, 15 dicens: „non hoc est nobis esse, quod est nosse“, et ibid. 15, 22: „ego per omnia illa tria memini, ego intelligo, ego diligo, qui nec memoria sum nec intelligentia nec dilectio, sed haec habeo“. Mens subiectum quid significet vel potius haec tria non inesse in mente tanquam in subiecto, dilucide intelligimus ex opere de lib. arbitrio 2, 19: „ipsa ratio inter illa numeratur, quae ratione cognoscimus. Noli ergo mirari, si ceteris per liberam voluntatem utimur, etiam ipsa libera voluntate per eam ipsam uti nos posse, ut quodammodo se ipsa utatur voluntas, quae utitur ceteris, sicut se ipsam cognoscit ratio, quae cognoscit et cetera. Nam et memoria non solum cetera omnia, quae meminimus, comprehendit, sed etiam, quod non obliviscimur, nos habere memoriam, ipsa se memoria quodammodo tenet in nobis, quae non solum aliorum, sed etiam sui meminit, vel potius nos et cetera et ipsam per ipsam meminimus“.

Restat, ut explicemus, apud Augustinum sui cognitionem nunquam separatam esse a sui memoria et dilectione seu voluntate. De trin. 14, 12, 15: „mens meminit sui, intelligit se, diligit se“. Memoria primo loco ponitur, quia anima sui ipsius memoria est in sui intelligentia; dilectio vero vel voluntas tertio loco, quod (ibid. 9, 3, 3.) „amare se ipsam non potest, nisi etiam se noverit; nam quomodo amat, quod nescit?“ Ibid. 10, 11, 18: „haec tria, memoria, intelligentia, voluntas quoniam non sunt tres vitae, sed una vita, nec tres mentes, sed una mens, consequenter nec tres substantiae sunt, sed una substantia. Memoria quippe, quae vita et mens et substantia dicitur, ad se ipsam dicitur; quod vero memoria dicitur, ad aliquid relative dicitur. Hoc de intelligentia quo-

que et voluntate dixerim; et intelligentia quippe et voluntas ad aliquid dicuntur. Non tantum a singulis singula, verum etiam a singulis omnia capiuntur. Memini enim, me habere memoriam et intelligentiam et voluntatem; et intelligo, me velle et meminisse et intelligere; totamque meam memoriam et intelligentiam et voluntatem simul memini. Quod enim memoriae meae non memini, non est in memoria mea. Totam igitur memini. Item quidquid intelligo, intelligere me scio; et scio me velle, quidquid volo; quidquid autem scio, memini. Totam igitur intelligentiam totamque voluntatem meam memini. Similiter quum haec tria intelligo, tota simul intelligo. Quapropter quando invicem a singulis et tota omnia capiuntur, aequalia sunt tota singula totis singulis et tota singula simul omnibus totis et haec tria unum, una vita, una mens, una essentia". Quam ob causam unum ex his tribus non potest seiunctum ab aliis dici mentis essentia, quod falso fecit I. Huber in libro, quod inscripsit: *„die Philosophie der Kirchenväter (München 1859)"*, qui contendit, Augustinum essentiam mentis in voluntate collocare [1]). Quod si ita esset,

1) Huber ut suam sententiam demonstret, provocat ad locum qui est de civitate Dei 14, 6: „voluntas quippe est in omnibus, imo omnes nihil aliud quam voluntates sunt". At minime quaesivit de orationis contextu. Omnes enim ex cohaerentia sententiarum sunt omnes quatuor animi perturbationes, ut locus hunc habeat sensum: quatuor illae perturbationes sunt phaenomena voluntatis. Ceterum Schopenhauer doctrinam Augustini de voluntate peracute in suum usum convertit, quamquam non omnino suo iure, quum nimis proprii systematis genio indulgeat atque ad hoc verba Augustini accommodet. Cf. *Schopenhauer, die Welt als Wille und Vorstellung, Leipzig 1859, 3. Auflage*, vol. I, p. 150 et 151: *„dieses im Streben aller Dinge mit unserm Willen Identische hat sogar der hl. Augustin, mit richtigem Gefühl, erkannt, und ich kann mich nicht entbrechen, seinen naiven Ausdruck der Sache herzusetzen"*. Locus, quem affert, habetur de civitate D. 11, 27, eoque non significatur, quod in omnibus rebus idem sit atque nostra voluntas. Contra Augustinus in omnibus rebus infra hominem positis invenisse sibi videtur, quod sit analogon voluntati humanae. In opere, quod modo commemoravimus, atque in aliis Schopenhaueri libris haud raro Augustini placita in alienum sensum torquentur, qui quomodocumque cum philosophia Schopenhaueriana consentiat. Ex his locis unus mihi memorabilis videtur, qui est in eodem libro p. 236 et 237: *„es ist auffallend, wie*

animum non memoriam vocaret in confess. 10, 14 atque rem cogitantem de trin. 10, 3. Hanc trinitatem mentis Augustinus ita quoque conformat, ut haec tria inesse nobis dicat: esse et huius essentiae scientiam et amorem utriusque (de civ. 11, 26.); vel esse, nosse, velle (confess. 13, 11.); vel mentem et notitiam eius et amorem (de trin. 9, 2, 2.); vel esse, vivere et scire (de lib. arbr. 2, 3, 7. Soliloq. 2, 1.).

Addendum est, Augustinum in unoquoque mentis phaenomeno relationes statuisse. De trin. 9, 5, 8: „et mens est utique in se ipsa, quoniam ad se ipsam mens dicitur, quamvis noscens vel nota vel noscibilis ad suam notitiam relative dicatur, amans quoque et amata vel amabilis ad amorem referatur, quo se amat. Et notitia quamvis referatur ad mentem cognoscentem vel cognitam, tamen et ad se ipsam nota et noscens dicitur; non enim sibi est incognita notitia, qua mens se ipsam cognoscit. Et amor quamvis referatur ad mentem amantem, cuius amor est, tamen et ad se ipsum est amor, ut sit etiam in se ipso, quia et amor amatur nec alio nisi amore amari potest, i. e. se ipso“. Possumus ex sensu Augustini tria haec, memoriam, intelligentiam ac voluntatem sui ad duo reducere, intellectum dico et voluntatem, quia memo-

besonders die Pflanzenwelt zur ästhetischen Betrachtung auffordert, dass man sagen möchte, dieses Entgegenkommen stände damit in Verbindung, dass diese organischen Wesen nicht selbst, wie die thierischen Leiber, unmittelbares Object der Erkenntniss sind, daher sie des fremden verständigen Individuums bedürfen, um aus der Welt des blinden Wollens in die der Vorstellung einzutreten, weshalb sie gleichsam nach diesem Eintritt sich sehnten, um wenigstens mittelbar zu erlangen, was ihnen unmittelbar versagt ist. Ich lasse übrigens diesen gewagten und an Schwärmerei grenzenden Gedanken ganz und gar dahingestellt sein, da nur eine sehr innige und hingebende Betrachtung der Natur ihn erregen und rechtfertigen kann“. His verbis Schopenhauer hanc annotationem addit: *„um so mehr erfreut und überrascht mich jetzt, 40 Jahre nachdem ich obigen Gedanken so schüchtern und zaudernd hingeschrieben habe, die Entdeckung, dass schon der hl. Augustin ihn ausgesprochen hat:* „arbusta formas suas, quibus mundi huius visibilis structura formosa est, sentiendas sensibus praebent, ut pro eo, quod nosse non possunt, quasi innotescere velle videantur“. (De civ. D. 11, 27.)

ria solummodo fundamentum est et quasi pars quaedam intelligentiae. De phantasia imaginaria aliisque facultatibus, quas secundum Augustinum ex parte saltem (de trin. 12 init.) cum bestiis communes habemus, hic non est accuratius disserendi locus.

Nunc progrediamur ad enarranda Cartesii de sui ipsius cogitatione placita. Resp. ad secundas obiectiones 3 loquitur de ortu huius cogitationis: „quum advertimus, nos esse res cogitantes, prima quaedam notio est, quae ex nullo syllogismo concluditur, neque etiam quum quis dicit: ego cogito, ergo sum s. existo, existentiam ex cogitatione per syllogismum deducit, sed tanquam rem per se notam simplici mentis intuitu agnoscit, ut patet ex eo, quod si quis eam per syllogismum deduceret, novisse debuisset istam maiorem: illud omne, quod cogitat, est s. existit; atqui profecto ipsam potius discit ex eo, quod apud se experiatur, fieri non posse, ut cogitet, nisi existat. Ea enim est natura mentis, ut generales propositiones ex particularium cognitione efformet". Ad hanc efformationem pertinet locus de princip. philos. 1, 10: „ante ipsam scire oportet, quid sit cogitatio, quid existentia, quid certitudo, item quod fieri non possit, ut id, quod cogitet, non existat, et talia". Contrarium asseritur in meditat. 3, p. 21. Hinc patet, cognitionem illam: ego cogito, ergo sum, non omnino immediate fieri, etsi Cartesius in regulis ad directionem ingenii intuitum a deductione eo distinguit, quod „in hoc motus sive successio quaedam concipiatur, in illo non item", et in epp. 3, 114: „cognitio intuitiva est illustratio mentis, per quam conspicit in lumine Dei res illas, quas ipsi placuit ei detegere per impressionem directam claritatis divinae in nostrum intellectum, qui in eo non consideratur tanquam agens, sed saltem veluti recipiens radios divinitatis". Nec obviat, quod idea sui ipsius vocatur innata, ut in meditatione tertia: „mihi est innata idea mei ipsius". Quid hoc sibi vult? Idea mei ipsius non actu mihi innata est, sed potentia tantum vel facultas eius formandae insita. Resp. ad tertias obiectio-

nes 10 s. f.: „quum dicimus, ideam aliquam nobis esse innatam, non intelligimus, illam nobis semper obversari, sic enim nulla prorsus esset innata, sed tantum nos habere in nobis ipsis facultatem illam eliciendi". Notae in programma quoddam p. 159: „nihil est in nostris ideis, quod menti s. cogitandi facultati non fuerit innatum, solis iis circumstantiis exceptis, quae ad experientiam spectant, quod nempe iudicemus, has vel illas ideas, quas nunc habemus cogitationi nostrae praesentes, ad res quasdam extra nos positas referri, non quia istae res illas ipsas nostrae menti per organa sensuum immiserunt, sed quia tamen aliquid immiserunt, quod ei dedit occasionem ad ipsas per innatam sibi facultatem hoc tempore potius quam alio efformandas". Ibid.: „non unquam scripsi vel iudicavi, mentem indigere ideis innatis, quae sint aliquid diversum ab eius facultate cogitandi. Sed quum adverterem, quasdam in me esse cogitationes, quae non obiectis externis nec a voluntatis meae determinatione procedebant, sed a sola cogitandi facultate, quae in me est, ut ideas s. notiones, quae sunt istarum cogitationum formae, ab aliis adventitiis vel factis distinguerem, illas innatas vocavi eodem sensu, quo dicimus, generositatem esse quibusdam familiis innatam, aliis vero quosdam morbos, non quod ideo istarum familiarum infantes morbis istis in utero matris laborent, sed quod nascantur cum quadam dispositione seu facultate ad illos contrahendos". Et alio loco eiusdem libri p. 160: „hae ideae non aliunde adveniunt quam a nostra cogitandi facultate ac proinde cum illa nobis innatae sunt, h. e. potentia nobis semper inexistunt; esse enim in aliqua facultate non est esse actu, sed potentia duntaxat, quia ipsum nomen facultatis nil aliud nisi potentiam designat". Ex responsionum ad quartas obiectiones initio sequi videtur, ut mens ad sui scientiam perveniat, opus esse cognoscere, haec phaenomena non in se ipsis sine essentia, cui insint, propriam habere subsistentiam. Nam Cartesius haec effatur: „etsi multa forte in me sint, quae nondum adverto, tamen id, quod adverto, mihi

sufficit, ut cum hoc solo subsistam". Resp. ad tertias obiectiones 2: „neque ad rem pertinet, quod hic philosophus dicat, unam cogitationem non posse esse subiectum alterius cogitationis. Certum est, cogitationem non posse esse sine re cogitante nec omnino ullum actum s. ullum accidens sine substantia, cui insit. Quum autem substantiam non immediate per ipsam cognoscamus, sed per hoc tantum, quod sit subiectum quorundam actuum, valde rationi consentaneum est" etc. Gravis de hac re locus, ubi Cartesius quasi secum ipso pugnans conclusione profitetur mentem innotescere sibi, reperitur in princip. phil. I, 52: „non potest substantia animadverti ex hoc solo, quod sit res existens, quia hoc solum per se nos non afficit, sed facile ipsam agnoscimus ex quolibet eius attributo per communem illam notionem, quod nihili nulla sint attributa nullaeve proprietates aut qualitates. Ex hoc enim, quod aliquod attributum adesse percipiamus, concludimus, aliquam rem existentem s. substantiam, cui illud attribui possit, necessario etiam adesse". Hoc enunciatum [1]) illustratur alio,

1) Quod attinet ad communem illam notionem, plura dicit Cartesius in princip. phil. 1, 10: „Ubi dixi, hanc propositionem: ego cogito, ergo sum, esse omnium primam et certissimam, quae cuihibet ordine philosophanti occurrat, non ideo negavi, quin ante ipsam scire oporteat, quid sit cogitatio, quid existentia, quid certitudo; item quod fieri non possit, ut id, quod cogitat, non existat, et talia: sed quia hae sunt simplicissimae notiones, et quae nullius rei existentis notitiam praebent, idcirco non censui esse numerandas". Ibid. §. 13 huc spectare ait figurarum numerorumque ideas et varia axiomata matheseos, atque §. 47 eiusmodi ideas nominat veritates aeternas, quas innatas esse putat. Resp. ad quartas obiectiones de natura mentis humanae: „neque substantias immediate cognoscimus, ut alibi notatum est, sed tantum ex eo, quod percipiamus quasdam formas s. attributa, quae quum alicui rei debeant inesse, ut existant, rem illam, cui insunt, vocamus substantiam. Si vero postea eandem illam substantiam spoliare vellemus iis attributis, ex quibus illam cognoscimus, omnem nostram de ipsa notitiam destrueremus. Neque istas facultates dixi res, sed ipsas accurate a rebus s. substantiis distinxi". Id quoque advertendum est, Cartesium uti Augustinum censuisse, mentem avocando se a sensibus sibi familiariorem reddi. (Cf. meditat. 3 init.) Hanc ob causam multi tam difficile essentiam mentis cognoscunt, „quia mentem a corpore nunquam satis accurate distinxerunt (princip. phil. 1, 12.), quod nunquam animum a sensibus abducunt et supra

quod est in libro de methodo, ubi Cartesius loquitur pag. 21: „attente examinans, quid essem, et fingere quidem me posse, corpus meum nil esse, sed non ideo ulla ratione fingere posse, me non esse, quia imo ex hoc ipso (quod reliqua falsa esse fingerem) manifeste sequi, me esse“.

Iure obiici potest, Cartesium substantiam et attributa difficile posse distinguere. Eiusdem libri §. 53: „et quidem“, inquit, „ex quolibet attributo substantia cognoscitur, sed una tamen est cuiusque substantiae praecipua proprietas, quae ipsius naturam essentiamque constituit, et ad quam aliae omnes referuntur. Cogitatio constituit naturam substantiae cogitantis“. Cf. praeterea de methodo p. 21 et meditationis secundae p. 10 et 11. Princip. phil. 1, 63 et 62: „cogitatio et extensio spectari possunt ut constituentes naturas substantiae intelligentis et corporeae, tuncque non aliter concipi debent quam ipsa substantia cogitans et substantia extensa, h. e. quam mens et corpus, quo pacto clarissime et distinctissime intelliguntur. Quin et facilius intelligimus substantiam extensam vel substantiam cogitantem quam substantiam solam omisso eo, quod cogitet vel sit extensa. Nonnulla enim difficultas in abstrahenda notione substantiae a notionibus cogitationis vel extensionis, quae scilicet ab ipsa ratione tantum diversae sunt“.

Concedit igitur Cartesius ipse defectum, quoniam secundum eum essentia mentis in cogitatione constituitur, ac tamen eadem cogitatio praecipua est mentis proprietas. Non liquet, quomodo substantia cogitans ipsa cogitatione, i. e. mera proprietate substantia sit, aut cur non possimus claram et distinctam istius substantiae ideam formare, si ab ea illud attributum excludamus. Distinctio illa, quam Cartesius facit inter

res corporas attollunt“ (diss. de methodo p. 32). At Cartesius quamquam hoc fecit, categorias non ex firmo principio deducit, quum in meditatione 3, p. 20 dicat: „ex iis, quae in ideis rerum corporalium clara et distincta sunt, quaedam ab idea mei ipsius videor mutuari potuisse, nempe substantiam, durationem, numerum et si quae alia sunt eiusmodi“. Cf. princip. philos. 1, 18.

cogitationem cogitandique modos, videtur fortasse redire ad distinctionem attributi universalis vel generalis a particularibus eiusdem modis, qui sunt imaginatio, voluntas, alia.

Ceterum Cartesius vel maxime negat, a se confundi essentiam ac phaenomena. In respons. ad tertias obiectiones 2 ait: „Cogitatio interdum pro actione, interdum pro facultate, interdum pro re, in qua est facultas. Nec dico, idem esse rem intelligentem et intellectum, si sumatur intellectus pro facultate, sed tantum, quando sumitur pro re ipsa, quae intelligit". Ibid. 3: „non nego, me, qui cogito, distingui a mea cogitatione ut rem a modo; sed ubi quaero: quid ergo est, quod a mea cogitatione distinguatur? hoc intelligo de variis cogitandi modis ibi recensitis, non de mea substantia, et ubi addo: quid, quod a me ipso separatum dici possit? significo tantum, illos omnes cogitandi modos mihi inesse, nec video, quid ibi dubii vel obscuritatis fingi possit".

Alia quoque sunt, quae ex ipso Cartesio haud facile expediantur. Quae de ratione dicit, qua concludamus ex attributis ad eorundem substantiam quaque nanciscamur communes illas notiones, ideas numerorum ceterasque veritates aeternas, ea non sufficiunt ad explicandam mentis vitam. Contendit tantum philosophus, communes notiones experientia nos edoceri, iisque nullius rei existentis notitiam nobis suppeditari. Interdum veritates aeternas praevias facit cogitationi sui ipsius, interdum contrariam profitetur opinionem; modo mentis de se ipsa cogitatio fit per simplicem intuitum, modo per conclusionem; aliis locis idea sui ipsius prima est, aliis idea Dei (de pr. phil. med. 5, p. 29.), neque omnino firma et stabilita successio idearum.

Difficultates etiam maiores oboriuntur in quaestione de vita et cogitatione mentis infantilis. In respons. ad quartas obiectiones dicit, animam infantis esse sopitam; in epp. 1, 105 mentem semper cogitare ait, quamquam initio confuse nec intellectu, sed sensibus. Animum semper cogitare necessario consequitur ex sententia de cogitatione naturam eius con-

stituente. „Quod rei cuiuspiam naturam constituit, illi semper inest, quamdiu illa existit, ita, ut longe facilius existimarim, animam desinere esse, quum quis dicit, illam a cogitando cessare, quam concipiam, illam absque cogitatione existere“. Difficultates ex hac opinione consectarias quamquam Cartesius agnovit, tamen vilipendit. Pergit enim ita: „neque ullam hic difficultatem video, nisi quod videatur supervacaneum, quod illa cogitat, dum nulla remanet in nobis cogitationis istius memoria; sed si attendamus, mille cogitationes dormientium nobis qualibet nocte obversari, imo et vigiles nos de mille rebus intra horae spatium cogitare, quarum vestigium in nobis nullam relinquitur et quorum utilitatem haud melius percipimus quam eorum, quae ante nativitatem cogitare potuimus, longe facilius erit id persuadere, quam ut inducamus animum, substantiam, cuius natura est cogitare, existere posse sine cogitatione“. In epp. 2, 4 idem profert: „necessarium videtur, ut mens semper actu cogitet, quia cogitatio constituit eius essentiam“. De mente infantis haec loquitur eadem in epistola: „in mente infantis nullas unquam intellectiones puras, sed confusas sensationes duntaxat fuisse mihi persuadeo; et quamvis confusae istae sensationes vestigia quaedam sua in cerebro relinquant, quae in reliquam vitam ibi manent, non tamen sufficiunt, ut advertamus, sensationes, quae nobis adultis adveniunt, similes esse iis, quas in utero matris habuimus sicque ipsarum recordemur, quia hoc pendet a quadam reflexione intellectus s. memoriae intellectualis, cuius in utero nullus usus fuit“. (Cf. resp. ad quartas obiect., p. 117, et Malebranche sur la recherche de la vérité, 3, 1, 2.) Usus hic efficitur externa ope, qua infantes ut scientia sui imbuantur, indigere Cartesius animadvertit in epp. 2, 110: „infantes simul educati suo Marte nequaquam discent loqui, nisi forsan verba quaedam, quae ipsi procudent. Sed ea nostris neque meliora neque magis apposita erunt; e contrario nostra hac ratione primum inventa, fuerunt progressu temporis emendata et expolita et quotidie emendantur et expoliuntur usu, qui in

eiusmodi rebus plus valet quam optimum ingenium". Hac in sententia nihil memoratur de modo mediationis vel efficaciae externae; non definitur, quid infantes ipsi agant in impulsum extrinsecum, nec omnino quidquam constituitur de natura illorum verborum, quae ipsi procusuri sint. Si Cartesium recte intelligimus, secundum eum infantes passive vel relative se habeant necesse est quoad sollicitationem alienam. Nam suo Marte loqui non discent, nisi forsan verba quaedam, et ad fingenda expoliendaque verba ratione opus est. Nec tamen liberi in passiva conditione permanent. Quodsi scientiam sui nanciscuntur, hoc non potest non cogitari sine quadam illorum actione vel reactione. Via patet, qua excolatur Cartesianismus, quoniam ea, quae consequentia apta ex principiis eius fluere pervidimus, modum quendam mediationis ostendunt, ex qua homo conscius sui evadat, quam mediationem Cartesius ipse aliquo modo indicavit.

Superest, ut utriusque philosophi de ortu ac qualitate cogitationis sui sententias inter se comparemus. Ac primum quidem et Augustinus et Cartesius eo consentiunt, quod mentem semper agere affirmant, quamquam neuter mediationem vel u ita dicam, processum et iter sufficienter investigavit, ex quo vita eius proficiscatur, ob eamque causam plura in utriusque scriptis conspiciuntur, quae non omnino inter se convenire vidimus. Differunt eo, quod Cartesius in cogitatione mentis essentiam ponit atque relationem inter eam et attributa in obscuritate quadam relinquit, imo utraque fere commiscet et confundit. Hoc vitium effugere nititur Augustinus, quamvis hic quoque rationem inter substantiam et cogitationem certitudinemque inde profectam non clare et distincte indagaverit. Quod eam modo rem cogitantem vel intelligibilem nominat, modo voluntatem, modo memoriam, hinc apparet liquido, eum substantiam mentis non in cogitatione collocasse, cuius reliqua phaenomena nihil sint nisi modi, verum hanc institisse viam, ut mentem substantiam diceret esse, quae et meminerit sui et cogitet se et velit se, vel substantiam pariter memoria,

cogitatione ac voluntate instructam et pollentam. Praeterea Augustinus eodem ut Cartesius modo infantes verba nescire putat eosque initio, quamvis semper se intelligant, ex quo esse coeperint, interiora sua non cogitare, cogitare nihil nisi corporea, ratione et intelligentia sopita. Non aliter apud eum necessaria est aliorum hominum admonitio et educatio, qua capacitas scientiae removeatur et in eius locum succedat ipsa res. Proprietates et facultates ab animo distinguuntur. Relationes adsunt, quum mens sit noscens, nota, noscibilis. Esse suum novit; ergo notitiam hanc refert ad esse, ac rursus amat et esse et notitiam, i. e. refert amorem ad essentiam et notitiam. Quae quum ita sint, quum mens initio sopitam habeat conditionem; quum porro capacitate intelligendi instructa sit; quum denique relationes adsint inter animum et alios: ex sensu Augustini consequenter exculto homo nascitur in potentiali animi statu, in quo recipit impressiones aliunde ortas, utpote qui sopitus sit egeatque ope aliena. Impressiones vero ut exitum habeant, ut revera cogitationem sui eliciant, animus ipse nolens volens reagat in easdem oportet. Tum poterit hasce recipiendi et agendi facultates ad se, ad esse suum, ad spiritum referre. Ergo oritur cogitatio entis nondum evoluti, indefiniti, cuius actiones nondum e causae sinu gremioque eductae sint. Omnia, quae Augustinus de vita animae constituit quaeque ex iisdem sequuntur, nequeunt teneri nisi hoc posito. Quis, quaeso, poterit concipere ens, quod nondum sese exseruit et explicuit, idem esse definitum, iniisse in vitae manifestationes? At vero concedent tam Augustinus quam Cartesius, se non habere hanc cogitationem ita puram, ut nulla entis definiti idea in eandem irrepat. Etenim etsi tenent evolutionem in vita spiritus, tamen eidem recens nato vel adhuc in matris utero latenti vitam aliquam actualem, h. e. definitum quendam determinatumque existendi modum adscribunt, mentem quodammodo faciunt essentiam definitam inde a primo existentiae momento. Sed etiam apud

Augustinum elementa inveniuntur, quae si accuratius perscrutare, ad ideam illam adducaris[1]).

Cap. III. De nexu cogitationis sui ipsius cum aliis cogitationibus ontologicis.

Ex Augustini sententia mens ante omnia se ipsam cognoscit (de trin. 10, 10, 16.) „quadam interiore, non simulata, sed vera praesentia; non enim quidquam illi est se ipsa praesentius". Haec quidem cogitatio arcte cohaeret cum aliis cogitationibus. Simulac mens se cogitavit, ad ea intuenda procedit, quae non sunt ipsa. Ac primum novit (de lib. arb. 2, 3.) corpus suum sensibus praeditum. Sola est, quae operatur in corpore et per corpus. (Cf. Thom. Aquin. summa theol. p. 1, qu. 14, art. 6 ad secund. Augustin. de musica 6, 5 et de gen. ad lit. 10, 11, 21.) Ergo ubi se cognovit, statim novit corpus suum per sensus externos. De trin. 9, 3: „mens ipsa sicut corporearum rerum notitias per sensus corporis colligit, sic incorporearum per semet ipsam. Ergo et semet ipsam per se ipsam novit". Per corpus noscit mundum visibilem vel naturam, etsi alio modo quam se ipsam. Ibid. 10, 10, 16: „neque ullo modo fieri posset, ut ita cogitaret id, quod ipsa est, quemadmodum cogitat id, quod ipsa non est. Per phantasiam quippe imaginariam cogitat haec omnia, sive ignem s. aërem s. illud vel illud corpus partemve illam s. compaginem temperationemque corporum". Anima postquam corpora percepit, ipsam se a corpore seiungit atque differentiam utriusque praecipue ex natura cogitandi et sentiendi intelligit. De gen. ad lit. 7, 20: „namque aliud esse ipsam, aliud haec eius corporalia ministeria, hinc evidenter elucet, quod plerumque se vehementi cogitationis intentione avertit ab omnibus, ut prae oculis patentibus recteque valentibus multa posita nesciat" etc. De anima et eius orig. 4, 17:

1) De indifferentia mentis cf. Knoodt, de Cartesii sententia: cogito, ergo sum, et Elvenich, die Wesenheit des menschlichen Geistes. Vratislaviae 1857.

„his quippe visorum imaginibus maxime anima probatur non esse corporea. Quae unde fiant, i. e. quaenam sit velut materies eorum, quis indagaro potest aut dicere? Procul dubio tamen spiritalis est, non corporalis; namque huiusmodi species velut corporum, non tamen corpora, et vigilantium cogitatione formantur et profunditate memoriae continentur". De gen. ad lit. 12, 18, 40: „ex eius (sc. memoriae) abditissimis sinibus prodeunt et quasi ante oculos prolata versantur. Tam multas igitur et tam magnas corporum imagines, si anima corpus esset, capere cogitando vel memoria retinendo non posset". Egregie natura cogitandi illustratur de animae immort. 10: „quis enim bene se inspiciens non expertus est, tanto se aliquid intellexisse sincerius, quanto removere atque subducere cogitationem mentis a sensibus corporis potuit? Quodsi temperatio corporis esset animus, non utique id posset accidere. Non enim ea res, quae naturam propriam non haberet neque substantia esset, sed in subiecto corpore tanquam color et forma inseparabiliter inesset, nullo modo se ab eodem corpore ad intelligibilia percipienda conaretur avertere, et in quantum id posset, in tantum posset illa intueri eaque visione melior et praestantior fieri. Nullo quippe modo vel forma vel color vel ipsa etiam corporis temperatio, quae certa commixtio est earum quatuor naturarum, quibus idem corpus subsistit, avertere se ab eo potest, in quo est subiecto inseparabiliter".

Accedit, quod ex Augustini sententia qualitas sentiendi talis est, ut spiritus si corpus esset, nequiret adesse in toto corpore tota. Epist. 166 ad Hieron.: „si corpus non est, nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur vel movetur, ut maiore sui parte maiorem locum occupet et breviore breviorem minusque sit in parte quam in toto, non est corpus anima; per totum quippe corpus, quod animat, non locali diffusione, sed quadam vitali intentione porrigitur. Nam per omnes eius particulas tota simul adest".

Ut corporum totiusque naturae externae animus conscius fit, ita alias praeter se aliorum hominum mentes experitur. De trin. 9, 3, 3: „si quisquam dicit, ex notitia generali vel speciali mentem credere, se esse talem, quales alias experta est, et ideo amare se ipsam, insipientissime loquitur. Unde enim mens aliquam mentem novit, si se non novit?" Ibid. 9, 4, 5: „mens amore, quo se amat, potest amare aliud praeter se. Item non se solam cognoscit mens, sed et alia multa". Ibid. 10, 3, 5: „quo pacto se aliquid scientem scit, quae se ipsam nescit? Neque enim alteram mentem scientem scit, sed se ipsam".

Mens non solum se et corpus suum aliaque corpora mentesque cogitatione percipit, sed etiam supra semet ipsam ascendit, suam substantiam omniaque, quae praeter illam sunt, excedit, format in se ideam Dei creatoris. De vera rel. 39, 72: „noli foras ire, in te ipsum redi, in interiore homine habitat veritas. Et si tuam naturam mutabilem inveneris, transscende et te ipsum." Idem fusius proponitur de doctr. Christ. 1, 8: „quoniam omnes, qui de Deo cogitant, vivum aliquid cogitant, illi soli possunt non absurda existimare de Deo, qui vitam cogitant, et quaecunque illis forma occurrerit corporis, eam vita vivere vel non vivere statuunt et viventem non viventi anteponunt eamque ipsam viventem corporis formam aliud esse ipsam, aliud vitam, qua vegetatur, intelligunt, eamque illi moli, quae ab illa vegetatur et animatur, dignitate incomparabili praeferunt. Deinde ipsam vitam pergunt inspicere, et si eam sine sensu vegetantem invenerint, qualis est arborum, praeponunt eis sentientem, qualis est pecorum, et huic rursus intelligentem, qualis est hominum. Quam quum adhuc mutabilem viderint, et huic aliquam incommutabilem coguntur praeponere, illam sc. vitam, quae non aliquando desipit, aliquando sapit, sed est potius ipsa sapientia". Idem argumentum profertur de libero arb. 2, 3—15, in confess. 10, 6 et de civ. D. 8, 6. Demonstratio Augustini, qua Deum esse probat, proprium quiddam habet, quod Ansel-

miani argumenti (cf. Anselmi proslog. c. 2.) quandam prae se fert similitudinem. Exorditur argumentum a cogitatione sui ipsius. Tum Augustinus quaerit, quae sit notio summi entis, reperitque illud ens tale esse necessario (de morib. Manich. 2, 11, 24.), „quo esse aut cogitari melius nihil possit". Quoniam autem id, quod involvit notionem incommutabilitatis, eo ipso praestat essentiis mutabilibus, homo se ipsum excedat oportet, ut ratiocinando Deum revera esse commonstret. Quae demonstratio cum Anselmiana habet affinitatem, quia tam Augustinus quam Anselmus ideam Dei fundamentum facit, cui probatio existentiae eiusdem superstratur. At vero Augustinus firmius iecit fundamentum, quippe qui non studeat enucleare notionem entis absoluti, antequam se esse persuasissimum habeat. Ab hoc ente indubitando proficiscitur, inquirit in eius naturam ac qualitates, quas ubi respondere reperit ei, quam animo concepit effinxitque, ideae entis absoluti, transscendit se supra suamque naturam mutabilem divinam cernit immutabilem. Constat igitur, Augustinum argumentationem ontologicam cum cosmologica coniungere. Praeterea cognitionem Dei veram opinatur ad eos solos pertinere, quorum animi per Christianam fidem purgati sint. De civ. D. 11, 2: „magnum est et admodum rarum, universam creaturam corpoream et incorpoream consideratam compertamque mutabilem intentione mentis excedere atque ad incommutabilem Dei substantiam pervenire et illic discere in ipso, quod cunctam naturam, quae non est, quod ipse, non fecit nisi ipse. Sic enim Deus cum homine non per aliquam creaturam loquitur corporalem, sed loquitur ipsa veritate, si quis sit idoneus ad audiendum mente, non corpore. Ad illud enim hominis ita loquitur, quod in homine ceteris, quibus homo constat, est melius, et quo ipse Deus solus est melior. Quum enim homo rectissime intelligatur factus ad imaginem Dei, profecto ea sui parte est propinquior superiori Deo, qua superat inferiores suas. Sed quia ipsa mens, cui ratio et intelligentia naturaliter inest, vitiis quibusdam tenebrosis

et veteribus invalida est non solum ad inhaerendum fruendo, verum etiam ad perferendum incommutabile lumen, donec de die in diem renovata atque sanata fiat tantae felicitatis capax, fide primum fuerat imbuenda atque purganda". Hoc placito non negatur, illis Deum innotescere, qui lumine gratiae per fidem collatae non gaudeant; id tantum spectat Augustinus, eos, quorum mores per Christianam religionem ad summam puritatem excolantur, ita comparatos esse, ut, quo maiore veritatis adore divina perspicere tendant, eo meliores studii sui fructus capiant. Augustinus interdum cosmologicum argumentum separatim exponit, ut in confess. 10, 6, ac peculiarem huius argumenti formam habet. Cuique homini insitae sunt rationes vel ideae immutabiles et sempiternae (de trin. 12, 2.), secundum quas iudicat. De doctr. Christ. 1, 9: „sapientiam immutabilem mutabili praeferendam esse omnes norunt. Nemo est enim tam impudenter insulsus, qui dicat: unde scis, incommutabiliter sapientem vitam mutabili esse praeferendam? Id ipsum enim, quod interrogat, omnibus ad contemplandum communiter atque incommutabiliter praesto est. Et hoc, qui non videt, ita est, quasi caecus in sole". De gen. ad lit. 4, 32, 49: „mens humana prius haec, quae facta sunt, per sensus corporis experitur eorumque notitiam pro infirmitatis humanae modulo capit; et deinde quaerit eorum causas, si quo modo possit ad eas pervenire principaliter atque incommutabiliter manentes in verbo Dei, ac sic invisibilia eius per ea, quae facta sunt, intellecta conspicere". Nunc vero in nobis praeter ideas stabiles adsunt multa variaque phaenomena eademque valde mutabilia, et corporalia et spiritualia (de divers. quaest. 83, qu. 9). De trin. 9, 9: „manifestum est, aliud unumquemque videre in se, quod sibi alius dicenti credat, non tamen videat; aliud autem in ipsa veritate, quod alius quoque possit intueri, quorum alterum mutari per tempora, alterum incommutabili aeternitate consistere". Hanc omnium actionum officiorumque humanorum mutabilitatem minime ex immutabilibus ideis deducere possumus, quia immutabile

omnino non fit mutabile. Quare si ideas non incorruptas tenemus, id non efficitur ex earundem ipsarum qualitate, sed ex mutabili nostra conditione. Ut igitur comprehendamus idearum immutabilitatem, et mens ac corpus mutationi corruptionique obnoxiae et ideae incorruptibiles transscendendae sunt earumque ultima causa ponenda, aeterna sine initio et fine, quae sit a se eademque et praeter et super et extra nos. Totus Augustinianae demonstrationis probandi nervus niti videtur in eo, quod mutabilia nisi ex immutabili auctore non comprehendantur. Hoc aperte monstrant multi loci, velut de nat. boni contra Manich. c. 1: „de illo quod est, hoc quod ipse est; ab illo autem quae facta sunt, non sunt, quod ipse. Ac per hoc si solus ipse incommutabilis, omnia, quae fecit, quia ex nihilo fecit, mutabilia fecit. Quaeri potest, quinam Augustinus mutabilia definiat, i. e. utrum spiritus noster ex eius sententia ita ad Deum adscendat, ut ille intelligatur causa creatix causarum vel substantiarum earum, per quas mutabilia fiant, an statim ex mutabilibus phaenomenis et immutabilibus ideis existentiam Dei concludat. Supra verisimile esse vidimus, Augustinum supponere causae, quae inierit mutationes, eandem causam ante mutationem, i. e. potentialem vel indifferentem. Huc accedit, animam, quum se cogitet, cogitare substantiam suam. Quod qui facit, is eam ponit causam phaenomenorum suorum. Ergo anima Deum cogitando non accidentia modo excedit, sed substantias quoque. De trin. 5, 2, 3: „ aliae, quae dicuntur essentiae s. substantiae, capiunt accidentia, quibus in iis fit magna vel quantacunque mutatio. Deo autem aliquid eiusmodi accidere non potest, et ideo sola est incommutabilis substantia vel essentia“. Ibid. 1, 6, 29: „omnis substantia, quae Deus non est, creatura est“. De anima et eius orig. 3, 6: „abundat impietate, Deum sine ullo quidem sui detrimento, sed tamen de sua natura mutabile aliquid vel proferre vel, quod est peius, tanquam sui operis materies ipse sit, facere“. De gen. ad lit. 7, 28: „de anima, quam Deus inspiravit homini, nihil confirmo, nisi quia

ex Deo sic est, ut non sit substantia Dei et sit incorporea, i. e. non sit corpus, sed spiritus, nec de substantia Dei genitus nec de substantia Dei procedens, sed factus a Deo nec ita factus, ut in eius naturam natura ulla corporis vel irrationalis animae verteretur, ac per hoc de nihilo". QQ. 83, Q. 1: „non igitur quum a veritate anima est, a se ipsa est. Est autem veritas Deus; Deum igitur habet auctorem, ut sit anima".

Neque vero hic subsistit Augustinus, altius etiam in cognitione Dei adscendere conatur. Quum hominem Dei imaginem esse intelligeret, quam acerrime studuit, istius imaginis proprietates perspicere, ut inde hauriret, quo cognitio Dei magis magisque corrigeretur augereturque. Ea, quae huc faciunt, fuse et subtiliter explanavit in opere de trinitate. In omnibus creaturis conspicit quaedam vitae divinae „alibi magis, alibi minus impressa vestigia" (de civ. D. 11, 28.) eaque luculentissima in anima humana, quae per vires memoriae, intelligentiae voluntatisque reddit simulacrum quoddam trinitatis divinae.

Quali copula Cartesius cogitationem sui ipsius aliasque ideas inter se nexas aptasque voluit? Ex principio: ego cogito, ergo sum, concludit, animum a corpore realiter diversum esse. In princip. phil. 1, 7 et 8 postquam dixit, „hanc cognitionem: ego cogito, ergo sum, esse omnium primam et certissimam", hunc in modum pergit: „haec optima via est ad mentis naturam eiusque a corpore distinctionem agnoscendam; examinantes enim, quinam simus nos, qui omnia, quae a nobis diversa sunt, supponimus esse falsa, perspicue videmus, nullam extensionem nec figuram nec motum localem nec quid simile, quod corpori sit tribuendum, ad naturam nostram pertinere, sed cogitationem solam, quae proinde prius ac certius quam ulla res corporea cognoscitur". Resp. ad quartas obiectiones de natura mentis humanae: „dicendum est, quo sensu intelligam, distinctionem realem inferri tantum ex eo, quod unaquaeque res absque alia complete s. ut res completa in-

telligitur". Res completa secundum easdem responsiones „nihil aliud intelligitur quam substantia induta iis formis s. attributis, quae sufficiunt, ut ex iis agnoscam, ipsam esse substantiam". Princip. phil. 1, 60: „substantias percipimus a se mutuo realiter esse distinctas ex hoc solo, quod unam absque altera clare et distincte intelligere possimus". Tota demonstratio realis distinctionis eo tendit, ut mentem a corpore differentem esse inde intelligatur, quod cogitatio et extensio, quarum altera mentis naturam, corporis altera constituit, nihil commune habeant, unde queat earundem unitas essentialis coniici.

Prima, quae cum notitia sui connectitur, idea ea est, quam de Deo habemus. Duas autem vias mens ingreditur ad existentiam Dei comprobandam, quarum una est per effectus, altera per notionem Dei ipsam. Utraque ratione Cartesius Deum esse ostendit in princip. philos. 1, 14—24. Ibi primum contendit, ex eo, quod existentia necessaria in nostro de Deo conceptu contineatur, recte concludi, Deum existere. (In epistola quadam dicit: „idem est, concipere Deum et concipere, quod existat".) Deinde idem deducit ex natura ideae de Deo formatae, quae eam habeat „realitatem obiectivam" tantamque involvat „immensitatem, ut plane ex eo simus certi, non posse illam nobis fuisse inditam nisi a re, in qua sit revera omnium perfectionum complementum, h. e. a Deo realiter existente". Qua ratione homo hanc ideam a Deo accepit? Respondet Cartesius in meditatione tertia: „neque illam sensibus hausi, nec unquam non exspectanti mihi advenit, ut solent rerum sensibilium ideae, nec a me efficta est, nam nihil ab illa detrahere, nihil illi superaddere plane possum, ac proinde superest, ut sit mihi innata, quemadmodum etiam mihi est innata idea mei ipsius. Et sane non mirum est, Deum me creando ideam illam mihi indidisse, ut esset tanquam nota artificis operi suo impressa; nec etiam opus est, ut nota illa sit aliqua res ab opere ipso diversa, sed ex hoc uno, quod Deus me creavit, valde credibile est, me quodammodo ad imaginem et similitu-

dinem eius factum esse, illamque similitudinem, in qua Dei idea continetur, a me percipi per eandem facultatem, per quam ego ipse a me percipior, h. e. dum in me ipsum mentis aciem converto, non modo intelligo, me esse rem incompletam et ab alio dependentem remque ad maiora s. meliora indefinite adspirantem, sed simul etiam intelligo, illum, a quo pendeo, maiora ista omnia non indefinite et potentia tantum, sed re ipsa infinite in se habere atque ita Deum esse; totaque vis argumenti in eo est, quod agnoscam, fieri non posse, ut existam talis naturae, qualis sum, nempe ideam Dei in me habens, nisi revera Deus etiam existeret". Cartesius in princip. phil. 1, 75 ideam Dei et nostri simul in nobis adesse dicit pluribusque locis contendit, ideam Dei primam esse omnium. Cf. de pr. phil. meditat. 5, p. 29: „inter ideas ingenitas prima et praecipua est idea Dei". Hac fluctuatione obscuritas quaedam oritur quoad cohaerentiam, qua idea Dei cum idea mentis nostrae coniungitur, quae obscuritas inde fortasse repetenda videtur, quod cohaerentia Dei et mentis non satis accurate definita est. Deus est causa mentis. Qualis causa? In epp. 1, 35: „quum", inquit, „animae nostrae natura aliquam cum eius (sc. Dei) natura cognationem habeat, animum inducimus, illam esse a suprema eius intelligentia emanationem quandam et divinae quasi particulam aurae". Aliis locis dicit, nos a Deo esse creatos. Creatio vero non recte poterat vocari emanatio, nisi Cartesius scholasticorum dicendi usum secutus sit. Certe ab hac parte infirma est philosophia Cartesiana, quod praeterea apparet ex definitione substantiae, secundum quam Deus solus proprio sensu substantiae nomen habet.

Ab idea Dei Cartesius transitum facit ad cogitationem naturae, et quidem eam ob rem, quod quum Deus, ens perfectissimum, decipere nequeat, eiusdem existentia demonstrata nullo modo possimus opinari, naturae existentiam nos doceri ab ente quodam deceptore. Praeterea mens ac corpus secundum Cartesium ita sunt diversae, ut mutuus influxus conse-

quentia servata cogitari nequeat. Quid enim cogitatio et extensio commune habent? Accedit, quod idea naturae Cartesio est adventitia propthereaque sequitur ideas ingenitas. Quia idea naturae est adventitia, non possumus pro re indubitanda habere, ideas rerum externarum a rebus extra nos existentibus prodire. Ad hanc quidem opinionem (meditat. 3.) naturali instinctu trahimur, non ratione. Viam, qua ideam naturae adipiscamur, Cartesius describit in princip. philos. 2, 1: „quidquid sentimus, procul dubio nobis advenit a re aliqua, quae a mente nostra diversa est. Neque enim est in nostra potestate, efficere, ut unum potius quam aliud sentiamus, sed hoc a re illa, quae sensus nostros afficit, plane pendet. Sentimus s. potius a sensu impulsi clare et distincte percipimus materiam quandam extensam in longum, latum et profundum. Ipsam clare intelligimus tanquam rem a Deo et a nobis s. a mente nostra plane diversam; ac etiam clare videre nobis videmur, eius ideam a rebus extra nos positis, quibus omnino similis est, advenire; Dei autem naturae plane repugnare, ut sit deceptor, iam ante est animadversum. Atque ideo hic omnino concludendum est, rem quandam extensam in longum, latum et profundum omnesque illas proprietates, quas rei extensae convenire clare percipimus, habentem existere. Estque haec res extensa, quam corpus s. naturam appellamus". Ibid. §. 2: „eadem ratione menti nostrae corpus quoddam magis arcte quam reliqua alia corpora coniunctum esse concludi potest ex eo, quod perspicue advertamus, dolores aliosque sensus nobis ex improviso advenire, quos mens est conscia non a se sola proficisci nec ad se pertinere ex eo solo, quod sit res cogitans, sed tantum ex eo, quod alteri cuidam rei extensae ac mobili adiuncta sit".

Haec igitur est copulatio, quam Augustinus et Cartesius decernunt intercedere inter cogitationem mentis de se ipsa aliasque ontologicas cogitationes. Quo in genere quatenus differat alter ab altero, quatenus alter assentiatur alteri, breviter perlustrabimus. Tota differentia ex eo pendet, quod Car-

tesius animum definit rem cogitantem indeque conclusionem facit ad eius de corpore et tota natura discrepantiam. Qua in re ab Augustino vel maxime abhorret. Nam is, quamvis a cogitatione sui ipsius incipiat philosophari, tamen non in sola cogitatione animi essentiam ponit. Idem quum corpus rem extensam statuat, quam dicat in longitudinem, latitudinem et altitudinem patere nec figura et motu carere (de anima et eius origine 4, 12, 15. QQ. 83, Q. 8. De immort. an. 10.), nihilominus multum recedit a sententia Cartesiana. Quis ignorat, Augustinum non tenuisse doctrinam de bestiis machinis? Contra putavit, animalia vita sensuum praedita esse (de civ. D. 11, 27.). Praeterea Cartesius non ut Augustinus a cogitatione sui nulla alius rei existentis idea interposita transit ad cogitationem corporis et naturae. Ex hac diversitate sequitur alia, quae pertinet ad existentiam Dei demonstrandam. Augustinus ab universa creatura corporea et incorporea transscendit ad Deum, Cartesius a sola mente, ita quidem, ut et ex idea Dei tanquam ex effectu concludat ad effectorem et ex eadem idea per se considerata existentiam supremi numinis deducat. Ontologicae argumentationis semina apud Augustinum quoque obvia sunt. Cosmologicum vero eius argumentum longe differt a Cartesiano. Augustinus enim ex mutabili creaturae conditione Deum esse probavit. Hac ex parte alter cum altero consentit, quod statuunt omnium rerum exemplaria esse in Deo. Quam rem capite quarto exponemus.

Cap. IV. De regula veritatis.

De regula veritatis quid Augustinus et Cartesius senserint, exponendum est, quod uterque scientiam sui eius fundamentum facit. Itaque regula illa ad finem perducitur doctrina de mentis sui cognitione. Augustinus quae de regula hac statuit, haec fere sunt. In soliloquiis inde a secundi libri cap. 2 hanc quaestionem tractat. Primum (ibid. 2, 4.) definit verum esse, quod ita sit, ut videatur. Reiecta hac definitione ibid. 2, 5 aliam proponit hanc: „verum mihi videtur esse id,

quod est". Deinde contendit, veritatem in disciplinis inesse. Ibid. 2, 11: „disciplina a discendo dicta est; nemo autem, quae didicit ac tenet, nescire dici potest, ac nemo scit falsa. Omnis ergo vera est disciplina". Pergit disciplinam eo describere, ut omnem disciplinam dicat inde esse veram, unde sit disciplina. Nullam vero occurere disciplinam, in qua non definitiones ac divisiones et ratiocinationes totum hoc, quod disciplina nominetur, egerint. Disciplinam definitionum, divisionum partitionumque contineri disputandi regulis s. dialectica. Per hanc omnes disciplinas habere veritatem, ipsamque per se ipsam esse veram. Ibid. 2, 11: „quisquamne igitur mirum putabit, si ea, qua vera sunt omnia, per se ipsa et in se ipsa sit veritas?" Eamque veritatem semper manere apparet (ibid. 2, 15.), „quod non solum si totus mundus intereat, sed et si ipsa veritas, verum est, et mundum et veritatem interisse. Nihil autem verum sine veritate. Nullo modo igitur interit veritas". Secundum hanc sententiam regula veritatis est dialectica eaque sempiterna. Corpus igitur, quod recipit interitum, non est „ad liquidum" (ibid. 2, 18.) verum, sed quasi quaedam imago veritatis et aliqua imitatione verum. Quapropter Augustinus cap. 19 eiusd. libri exclamat: „crede veritati; clamat, in te sese habitare et immortalem esse nec sibi suam sedem quacunque corporis morte subduci. Avertere ab umbra tua, revertere in te". Quis non intelligit, istam veritatis regulam non coniunctam esse cum cogitatione sui nisi hac una ex parte, quod in ipsa mente sit insita proptereaque mentem sui consciam ac de se ipsa certissimam esse oportere, ut posthac regulam veritatis sibi inseminatam agnoscat? Nulli non perspicuum erit, talem cohaesionem non esse necessariam. Nam ex formali dialectica formalem modo veritatem haurimus, nulla ratione realem s. metaphysicam. At ipse Augustinus in hoc criterio veritatis non substitit. Ipse (confess. 1, 1.) confitetur, cor nostrum esse inquietum, donec requiescat in Deo. De genesi ad lit. 12, 31: „aliud est ipsum lumen, quo illustratur anima, ut omnia vel in se vel in illo veraciter intellecta

conspiciat. Nam illud iam Deus est, haec autem creatura quamvis rationalis et intellectualis ad eius imaginem facta, quae quum conatur lumen illud intueri, palpitat infirmitate et minus valet. Inde est tamen, quidquid intelligit, sicut valet. Quum ergo illuc rapitur et a carnalibus subtracta sensibus illi visioni expressius praesentatur non spatiis localibus, sed modo quodam suo, etiam supra se videt, quidquid etiam in se intelligendo videt". Veritas Dei (confess. 12, 25.) „nec mea est nec illius aut illius, sed omnium nostrum. Si ambo videmus, verum esse, quod dicis, et ambo videmus, verum esse, quod dico, ubi quaeso, id videmus? Nec ego utique in te nec tu in me, sed ambo in ipsa, quae supra mentes nostras est, incommutabili veritate". Dicitur quidem in soliloq. 1, 15, priusquam Deus noscatur et anima, veritatem esse cognoscendam, per quam illi intelligantur. Quum tamen secundum Augustinum Deus sit veritas et Deum ante Deum cognoscere absurdum sit, aut Deus idem sit et veritas necesse est aut veritas dicenda sit lumen naturale a Deo creatum. Ex sententia Augustini in hac cognitione ipsam divinam substantiam non intuemur immediate in nobis (epp. 146, 4 et 5.). Opinatur Augustinus in retractation. 1, 8: „fieri posse, ut mens multa noverit, quia natura intelligibilis est et connectitur non solum intelligibilibus, verum etiam immutabilibus rebus, eo ordine facta, ut, quum se ad eas res movet, quibus connexa est, vel ad se ipsam, in quantum eas videt, in tantum de his vera respondeat. Nec sane omnes artes eo modo secum attulit ac secum habet. Nam de artibus, quae ad sensus corporis pertinent, sicut multa medicinae, nisi quod hic didicerit, non potest dicere. Ea vero, quae sola intelligentia capit, propter id, quod dixi, quum vel a se ipsa vel ab alio fuerit bene interrogata et recordata, respondet". Patet igitur, nos ex Augustini placito sensibus ad multa cognoscenda carere nequire; videmus praeterea mentis quandam cum intelligibilibus coniunctionem, qua si arte utamur, fiat, ut intelligibilia nobis innotescant, quae principaliter et incommutabiliter sint in Deo.

Deus est immutabilis veritas (de vera rel. 31.), „quae lex omnium artium recte dicitur“. Summa haec lex est, secundum quam ratio iudicat (de lib. arb. 2, 12.), de qua iudicare non licet. Ibi est prima sapientia (de vera rel. 31.), ubi est prima vita et prima essentia. De vera rel. 36: „cui saltem manifestum est, falsitatem esse, qua id putatur esse, quod non est, intelligit, eam esse veritatem, quae ostendit id, quod est. At si corpora in tantum fallunt, in quantum non implent illud unum, quod convincuntur imitari, a quo principio unum est, quidquid est, ad cuius similitudinem quidquid nititur, naturaliter approbamus, quia naturaliter improbamus, quidquid ab unitate discedit atque in eius dissimilitudinem tendit, datur intelligi, esse aliquid, quod illius unius solius, a quo principio unum est, quidquid aliquo modo unum est, ita simile sit, ut hoc omnino impleat ac sit id ipsum, et haec est veritas et verbum in principio et verbum Deus apud Deum. Si enim falsitas ex iis est, quae imitantur unum, non in quantum id imitantur, sed in quantum implere non possunt, illa est veritas, quae id implere potuit et id esse, quod est illud; ipsa est, quae illud ostendit, sicut est, unde et verbum eius et lux eius rectissime dicitur. Cetera illius unius similia dici possunt, in quantum sunt, in tantum enim et vera sunt; haec est autem ipsa eius similitudo et ideo veritas. Ut enim veritate sunt vera, quae vera sunt, ita similitudine similia sunt, quaecunque similia sunt. Ut ergo veritas forma verorum est, ita similitudo forma similium est. Quapropter vera, quoniam in tantum vera sunt, in quantum principalis unius similia sunt, ea forma est omnium, quae sunt, quae est summa similitudo principii, et veritas est, quia sine ulla dissimilitudine est“. Quare Augustinus dicit: „qui negat ideas, infidelis est, quia negat, filium esse“. (Cf. Thom. Aq. de ver. qu. 3, art. 1.) Intelligibilia omnia, h. e. ideae (QQ. 83, Q. 46.) s. rationes „rerum omnium creandarum creatarumve in divina mente continentur“. In intellectu divino (de ord. 2, 26.) „universa sunt aut ipse potius universa, et praeter universa universorum est principium, in

quo (de quant. an. 77, Solil. 1, 1.) et a quo et per quem vera sunt, quae vera sunt omnia". Cetera infra illum (confess. 7, 11.) nec omnino sunt nec omnino non sunt. „Ideae (QQ. 83, Q. 46.) sunt principales formae quaedam vel rationes rerum, quae neque oriuntur neque intereunt, secundum quas formatur omne, quod oriri et interire potest". Hae ideae (de civ. D. 12, 25.) intrinsecus efficientes causas habent de secreto et occulto naturae divinae eiusdemque creatricis arbitrio, quarum participatione fit (QQ. 83, Q. 46.), ut sit, quidquid est, quoquo modo est. Singula propriis sunt creata rationibus (ibid.), earumque tanta vis est, ut sine illis nemo possit esse sapiens. Aliter in Deo sunt ea (de gen. ad lit. 2, 6.), quae per illum facta sunt; aliter in illo sunt ea, quae ipse est. Ideae mundi (ibid. 6, 10) aliter sunt in Deo; aliter in primordialibus mundi elementis, in quibus omnia suis quaeque temporibus evolvenda tanquam in semine latent; aliter in rebus ipsis, quae ex informi materia prodierunt; aliter in seminibus, in quibus causae primordiales quasi redeunt. Certitudinem cognitionis in Deo fundatae Augustinus tantam esse existimat, ut Deum in confess. 7, 10 his verbis alloquatur: „clamasti de longinquo: imo vero ego sum, qui sum. Et audivi, sicut auditur in corde, et non erat prorsus, unde dubitarem, faciliusque dubitarem, vivere me quam non esse veritatem, quae per ea, quae facta sunt, intellecta conspicitur". Ibidem c. 11 Deum solum vere esse contendit: „id enim vere est, quod incommutabiliter manet".

Haec est doctrina Augustini de regula veritatis ontologicae, in qua nonnulla insunt, quae didicit ex Platone et Neoplatonicis, quamvis non sit negandum, Christianum philosophum summo studio illuc spectasse, ut ea illorum corrigeret placita, quibus ad pantheismum aditus pateat[1]).

1) Qua de re Ritter l. s. s. p. 417 et 418: *„seine Sätze"*, inquit, *„in welchen er das unmittelbare Sein der weltlichen Dinge in Gott ausspricht, könnten zuweilen den Anschein geben, als wäre er in pantheistischer Weise in Gefahr Gott mit der Welt zu verwechseln. Scheut er doch die Formel nicht, welche Gott als das allgemeine Sein bezeichnet, als das Sein nämlich, in welchem alles wahrhaft ist, was wahrhaft ist. Aber Gott*

Addendum videtur, quomodo haec doctrina iungatur cum principio, unde viam ad alias omnes cognitiones sibi munivit. Vinculum non arctius est illo, quod monstravimus supra in disputatione de regula veritatis logicae, excepta tamen hac una re gravissima, quod Augustinus in criterio metaphysicae veritatis reperiendo a veritate quadam metaphysica capit initium, a cognitione existentiae sui ipsius. Nexus, quem quaerimus, in eo cernitur, ut nisi animam nostram perspectam habeamus atque ab illa exorsi excedendis creaturis Dei existentiam demonstremus, nullo modo regulae veritatis metaphysicae queat esse locus, nullo firmo fundamento veritatis innotescentis principium exstructum sit, omnia scientiae obiecta huc illuc incerta vacillent et fluctuent.

Cartesius in constituenda veritatis norma exitum facit a cogitatione sui ipsius atque contendit, omnia esse vera, quae eodem modo ut cogitatio illa clare et distincte percipiantur. De methodo p. 21 ait: „quia notabam, nihil plane contineri in his verbis: ego cogito, ergo sum, quod me certum redderet eorum veritatis, nisi quod manifestissime viderem, fieri non posse, ut quis cogitet, nisi existat, credidi, me pro regula generali sumere posse, omne id, quod valde dilucide et distincte concipiebam, verum esse, et tantummodo difficultatem esse nonnullam ad recte advertendum, quidnam sit, quod distincte percipimus". Princip. phil. 1, 43: „certum est, nihil nos unquam falsum pro vero admissuros, si tantum iis assensum praebeamus, quae clare et distincte percipiemus. Certum, inquam, quia, quum Deus non sit fallax, facultas percipiendi, quam nobis dedit, non potest tendere in falsum, ut neque etiam facultas assentiendi, quum tantum ad ea, quae clare percipiuntur, se extendit". De methodo p. 24 et 25: „quum

und Welt werden auch deutlich von ihm unterschieden. So bleibt der Unterschied bestehen zwischen Gott und Welt, wie er immer von der christlichen Lehrweise anerkannt worden war. Die Grundsätze, von welchen Augustinus ausging, sichern ihn". Quisque persuasum sibi habebit, acute perspexisse Ritterum, quod in Augustini de criterio ontologicae veritatis doctrina desideres.

enim ideae nostrae in omni eo, in quo sunt clarae et distinctae, entia quaedam, i. e. realitates sint atque adeo a Deo procedant, non possunt non in eo esse verae, quia in Deo falsitas ceu imperfectio esse non potest, sicut e contrario totum illud, quidquid in nobis est entis et veri, non potest nisi ab ente summo procedere, unde etiam omnia, quae in nobis vera sunt et ut talia agnoscuntur (etiam demonstrationes geometricae), ultimato non ob aliam rationem vera sunt, quam quia Deus (prima veritas) existit". Quapropter Cartesius ante omnia Dei existentiam probare studet, quoniam ex hac veritas omnis pendet, haec quoque, nihil esse verum, nisi quod valde clare et distincte percipiatur [1]). In meditat. 4 hunc in modum loquitur: „quum attendo, me dubitare s. esse rem incompletam et dependentem, adeo clara et distincta idea entis independentis et completi, h. e. Dei mihi occurrit, et ex hoc uno, quod talis idea in me sit, adeo manifeste concludo, Deum etiam existere, ut nihil evidentius, nihil certius ab humano ingenio cognosci posse confidam. Iamque videre videor aliquam viam, per quam ab ista contemplatione veri Dei, in quo nempe omnes thesauri scientiarum et sapientiae absconditi, ad ceterarum rerum cognitionem deveniatur. Imprimis enim agnosco, fieri non posse, ut ille me unquam fallat. Deinde experior, quandam in me esse iudicandi facultatem, quam certe, ut et reliqua omnia, quae in me sunt, a Deo accepi; quumque ille nolit me fallere, talem profecto non dedit, ut, dum ea recte utor, possim unquam errare. Ita prorsus, quamdiu de Deo tantum cogito totusque in eum me converto, nullam erroris aut falsitatis causam deprehendo". Et in meditat. 5 s. f.: „ita", inquit, „plane video, omnis scientiae certitudinem et veritatem ab una veri Dei cognitione pendere, adeo ut priusquam illum nossem, nihil de ulla alia re perfecte scire potuerim". Hinc igitur Cartesius intelligere sibi videtur, non

